

Jogl. C.

334.

FRANCISCI LÄNER  
**INSTITUTIONES**  
**JURIS GENTIUM**  
NATURALIS.

(A' magyar Tudós =)  
= Társaság' Könyvtáránaé,  
ajánlja:

a'  
Izexo".





926474

# INSTITUTIONES JURIS GENTIUM


NATURALIS

CONSCRIPTAE

PER

**FRANCISCUM LANER,**

JURIS U. DOCTOREM, IN LYCEO ARCHI-EPISCOPALI  
AGRIENSI JURIS NATURAE UNIVERSI ET PUBLICI PART.  
R. HUNG. PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM, IN  
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTIENSI FACUL-  
TATIS JURIDICAE MEMBRUM COLLEGIATUM, CAUS. F.  
U. ADVOCATUM, NEC NON I. COMITATUS ZOLIENSIS TA-  
BULAE JUDICIARIAE ASSESSOREM.



Repetamus stirpem *Juris a Natura*, qua duce —  
errari nullo pacto potest.

Cic. de Leg. L. I. c. 6.

---

**AGRIAE, 1840.**

*Typis Lycei Archi-Episcopalis.*

INSTITUTIONES  
JURIS NATURALIS  
CONSCRIPTAE

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis  
Causa, sed utilitas officiumque fuit.

Ov. ex Ponto. III.

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

AGRIAE. 1840.

---

# CONSPECTUS OPUSCULI.

---

## CAPUT I.

### De Jure gentium generatim.

- §. 1. Notio Juris gentium.
  - §. 2. Divisio Juris gentium naturalis, et differentia ejusdem a Jure gentium positivo, et Jure naturali extrasociali.
  - §. 3. Juris gentium naturalis existentia, seu objectiva realitas, et principium.
- 

## CAPUT II.

### De Juribus connatis gentium.

- §. 4. Jus moralis personalitatis gentium, ejusque partes constitutivae. — Jus connatum persequendi jura sua.
- §. 5. Jura connata materialia. — Jus connatum bo-

nae existimationis, Jus rerum, et Jus con-  
natum intuitu aliarum gentium.

---

### C A P U T III.

#### De officiis G. connatis.

- §. 6. Officiorum juris notio, principium, species.
  - §. 7. Officiorum horum violatio.
  - §. 8. Continuatio.
  - §. 9. — 12. De gentium humanitate.
- 

### C A P U T IV.

#### De Juribus G. acquisitis modo ori- ginario.

- §. 12. Factum, quo possibile est gentibus jura ac-  
quirere.
- §. 13. Notio dominiij gentium — qualitas objecto-  
rum occupationis — jus colligendi naufra-  
gium.
- §. 14. Adprehensio, et signatio. — Jus territoria-  
le quoad occupatum territorium.
- §. 15. Effectus occupationis. — Jura specialia vi  
juris territorialis genti competentia — Jus  
albinagii.
- §. 16. Jura dominiij specialia.

## C A P U T V.

### De juribus acquisitis G. ex pacto.

- §. 17. Conventa publica, earumque species.
- §. 18. Foedera aequalia, inaequalia.
- §. 19. Foedera personalia, realia.
- §. 20. Confoederatio Civitatum (Systema Civitatum).
- §. 21. Effectus, et interpretatio foederum.
- §. 22. Foederum concursus.
- §. 23. Obsidis datio.
- §. 24. Continuatio.
- §. 25. Garantia; — differentia ejus a foedere defensivo, et fidejussione.
- §. 26. Modi foedera dissolvendi.
- §. 27. Sponsiones publicae.

---

## C A P U T VI.

### De Legationibus.

- §. 28. Legatorum notio; — differentia legatorum ab internunciis, mediatoribus, agentibus, deputatis.
- §. 29. Character Legatorum repraesentativus, generalis, et specialis.
- §. 30. Jus Legationis.
- §. 31. Literae Credentiales.
- §. 32. Divisio legatorum in primi, secundi ordinis; — ordinarios, extraordinarios; plenipotentarios, et formularios.
- §. 33. Admissio Legatorum.
- §. 34. Commeatus.

- §. 35. Jura Legatorum — (eminens inviolabilitas legatorum).  
§. 36. Continuatio. (extraterritorialitas.)  
§. 37. Media jus suum persequendi adversus legatos.  
§. 38. Objecta ad quae se sanctitas juridica, et extraterritorialitas legatorum extendit.  
§. 39. Limites extraterritorialitatis legatorum.  
§. 40. Cessatio Legationis.
- 

## C A P U T VII.

De Mediis quibus gentes Jus suum laesum persequi possunt.

---

### S E C T I O I.

Jus Belli in genere.

- §. 41. Belli notio, et natura.  
§. 42. Belli divisio.  
§. 43. Belli justitia, et causae.  
§. 44. Belli limites.
- 

### S E C T I O II.

Media Bellum declinandi leniora.

- §. 45. Media lites componendi. (Amica exaequatio, Transactio, Compromissum etc.)  
§. 46. Seria postulatio reparandae laesionis. Retorsio.

- §. 47. Repressaliae. —  
§. 48. Media jus laesum persequendi inepta. (Vindicta, Talio, Perfidia.)

---

SECTION III.

Jura Belli in specie.

- §. 49. Juris belli principium. — Clarigatio.  
§. 50. Indictio, et publicatio.  
§. 51. Jura belli *ratione personarum* hostis injusti, Crudelitatis bellicae species.  
§. 52. Jura belli *ratione rerum* hostis injusti; — Crudelitas bellica in res hostis directa.  
§. 53. *Stratagema*.  
§. 54. Occupatio bellica. — Jus postliminii.  
§. 55. Auxilium bellicum. — Jura belli *ratione sociorum belli*.  
§. 56. Jus Neutralitatis.

---

CAPUT VIII.

De Conventis bellicis, et pactione pacis.

- §. 57. Conventorum bellicorum notio, — divisio — Effectus.  
§. 58. Induciae — earum divisio — conclusio — promulgatio.  
§. 59. Induciarum effectus et duratio.  
§. 60. Pactum pacis — ejus natura et indoles — valor — justitia, injustitia.

..... VIII. ....

- §. 61. **Bella subjugatoria — internecina. — Victoria.**
- §. 62. **Praeliminaria. — Articuli pacis. — Pacis promulgatio, et effectus.**
- §. 63. **Obligaciones ex pacto pacis promanantes. — Violatio pacis.**
- §. 64. **Necessitas pacis perpetuae.**

C A P I T U L U M VIII

De Conventionibus bellicis, et pacto  
de pace.

- §. 61. Conventionum bellicarum notio — divisio —
- §. 62. Inductio — eorum divisio — conclusio —
- §. 63. Inductio effectus et datae notio —
- §. 64. Pactum pacis — eius natura et indoles —

**JUS GENTIUM**  
**NATURALE.**

U.S. CHEMICAL

LABORATORY

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

---

# CAPUT I.

## DE JURE GENTIUM GENERATIM.

### §. I.

#### *Juris gentium notio.*

**Gentes** a) in certo terrae spatio penes se invicem existentes, ut personae morales considerari debent, et quae tales in mutuis suis relationibus socialibus iisdem juribus et officiis gaudent, quae singularibus in statu na-

---

a) *Gens* (natio, populus, Status) in triplici sumitur significatione 1mo *sensu genealogico*, pro multitudine familiarum, quae genere et agnatione sibi junctae sunt. 2do *sensu geographico*, pro multitudine familiarum, quae eandem patriam, eosdemque mores habent. 3tio *sensu politico* (adeoque in proprio hujus loci sensu) omnem societatem civilem denotat.

turali existentibus personis propria sunt. b) Systematicus horum Jurium Officiorumque complexus *Jus Gentium sensu objectivo* — scientia vero horum jurium officiorumque, *Jus gentium sensu subjectivo* sumptum constituit.

---

§. 2.

*Ejus Divisio, et differentia a Jure Nat.  
Priv. Extr. ac Jure Gent. pos.*

Jus gentium aliud est *naturale*, i. e. sola ratione, — aliud *positivum* h. e. arbitrio et consensu gentium, determinatum.

---

b) Ubicunque socialis plurium personarum (physicarum vel moralium) coexistentia adest, ibi et Lex naturalis juridica qua universalis reciprocae activitatis norma, e postulato rationis agnosci debet; — realiter autem mutua illa coexistentia socialis ibi tantum obtinet, ubi plures personae sibi in spatio et tempore invicem junguntur, et vi hujus unionis activitatem mutuan exercere possunt. — Gentes in reciproca tali coexistentia sociali constituuntur; quia 1mo idem commune domicilium (terram) inhabitant. 2do quia ipse Auctor naturae reciprocam mutuanve gentium etiam remotissimarum communicationem, per ipsam sphaeroidicam telluris formam oceano circumdatam, possibilem reddidit.

*Jus Gentium naturale* vel est *absolutum*; quod ex natura gentium absque ullo facto posito a priori intelligitur, et jura gentium *connata* exhibet; vel *hypotheticum*, quod jura gentium *acquisita* (quae interveniente quodam facto intelliguntur) obtutui sistit. a)

*Jus Gentium positivum* iterum vel est *consuetudinarium*, quod consuetudine tamquam pacto tacito; vel *pactitium*, quod expresso consensu gentium, introductum est. b)

*Jus gentium naturale* differt Imo a *Jure naturae privato extrasociali*, quia natura hominis a natura gentium in multis diversa est,

a) Gentes praeter jura naturalia connata, possunt etiam *acquisita* habere, quia facto unilaterali (occupatione) vel bilaterali (pacto) nova jura sibi comparare possunt, uti partem maris (littoribus adjacentem) insulam, fluvium, majorem terrae tractum.

b) *Jus gentium positivum* (particulare) specialibus pactis, diversis foederibus, consuetudinibus, usuque et moribus inter Europae populos potissimum introductum est. — *Jus gentium naturale* autem ideo potissimum discendum est, quia ex natura gentium sola ratione derivatur, adeoque omnibus gentibus commune est, nam gentes actu vivunt in statu naturali, ergo etiam ex jure naturali sua negotia componere debent. Hinc *jus gentium naturale est jus naturale ad negotia gentium qua talium applicatum.* —

sic e. g. aliter nascuntur, perficiuntur, læduntur, et intereunt singuli, atque gentes; Unde non paucae dantur regulæ, quibus actiones gentium, non item singulorum hominum applicari debent. 2do a *Jure gentium positivo*, quia Jus gent. nat. sola ratione, hoc autem arbitrio et consensu gentium determinatum est; — præterea Jus gent. nat. est *universale*, Jus gent. pos. vero tantum *particulae*, nam Consuetudines et pacta apud omnes gentes introducta, probari nequeunt. c)

§. 3.

*Ejus Existentia, et Principium.*

Existentia Juris gentium naturalis indisputabilis est, quia gentibus quoque (qua personis moralibus) inest ratio, actiones justas probans et præcipiens, injustas autem reprobans ac prohibens, jam autem dictamen id rationis externam gentium socialiter co-

---

c) Perperam nonnulli *convenientiam populorum* (s. d. rationem status) confundunt cum jure gentium, nam illa non quid inter gentes justum, sed quid sit alicui Reipublicae utile declarat; jam autem quod utile, non semper et justum est.

existentium activitatem respiciens *legem* naturalem juridicam constituit, ergo existit jus gentium naturale.

Hinc inter gentes quoque datur 1mo *Jus absolute* sumptum, quo (tamquam dictamine rectae rationis) libertas (externa activitas) gentium socialiter coexistentium ita limitatur, ut penes hanc restrictionem, omnes qua personae morales invicem coexistere valeant. 2do *Jus sensu subjectivo sumptum* seu facultas (gentibus competens) omnia agendi, quae sociali omnium gentium (ut personarum moralium) coexistentiae non repugnant.

Unde Supremum Principium, ex quo cuncta Gentium jura derivari possunt, sequenti formula enunciatur: *Omnes actiones quae sociali gentium coexistentiae (seu legali libertati omnium) non repugnant, sunt justae, contrariae vero injustae.*

Ex hac propositione omnia gentium Jura et Officia derivari possunt. Sic e. g. si quaeratur an Jure gentium justum ac licitum sit uni aliam gentem in sui conservatione et perfectione impedire, fidem pactitiam violare? etc. respondemus negative, quoniam si quaevis gens ita ageret, socialis ac pacifica gentium coëxistentia everteretur.

---

## CAPUT II.

### DE JURIBUS CONNATIS GEN- TIUM.

—

§. 4.

*Jus Personalitatis, item Jus perse-  
quendi jura sua.*

Omnes gentes aequalia habent *jura naturalia*, quia vivunt in statu naturali, in quo omnium jura naturalia sunt aequalia, nam jura connata ex natura gentis intelliguntur, natura autem omnium gentium est eadem. a)

Jura haec e Jure Personalitatis tamquam fonte communi deducuntur. Est autem *Jus Personalitatis moralis* Jus cuivis genti a natura competens, se ut ens rationale ac liberum considerandi, et tuendi, unaque exigendi, ut ab aliis qua persona moralis tractetur. b)

---

a) Gentes qua personae morales ut *subjecta juri* considerari debent, igitur sine juribus connatis concipi nequeunt.

b) Jus hoc *moralis personalitatis gentium*, omnium juri<sup>um</sup> *primum*, ac *supremum* est, quatenus videlicet ex eo omnia reliqua gentium jura deducuntur. — Gens tamen qua multitudo hominum, personam moralem sensu stricto, et

Jus hoc moralis personalitatis gentium in Jus personalis *subsistentiae*, et *libertatis* resolvi potest.

I. *Jus personalis subsistentiae*, alias *Jus se conservandi* dictum, est facultas cuivis genti a natura competens, existentiam suam omnibus mediis licitis servandi, tuendi, ac provehendi. c)

II. *Jus libertatis* seu *independentiae naturalis*, alias etiam *Jus se perficiendi* dictum, est jus cuivis genti a natura competens, independenter ab omni alieno cogente

---

sic dictam *republicam juridicam* tunc primum constituit, ubi in Coetum Civilem consociatur, seu *Statum* efformat; ut autem hunc formare, et qua talis existere queat, certum *territorium* qua naturalem *subsistentiae* basim teneat est necesse, quod qua *Dominium* suum proprium, contra quasvis aggressiones externas tueri ac defendere potest. Vi hujus juris (dominii) cuivis genti competit *Jus territorium* suum pro arbitrio in partes dividendi, eo ad fines suos utendi, illud culturae subjiendi, et munien- di, omnes denique vires suas ita evolvendi, ut in quantum id naturalis situs territorii admittit, continuo perfectior ac potentior evadat.

c) Hinc fluit jus conservandi *nexum civilem* (unionem civilem, item constitutionem, et subjectionem) prout et *jura majestatica*; quia sine his existentia gentis concipi nequit.

arbitrio, quosvis ad perfectionem ac prosperitatem suam ducentes fines libere persequendi. d)

Ex Juribus his promanat etiam *Jus* con-  
natum *tuendi*, ac *persequendi* jura sua om-  
nibus mediis aptis ac necessariis (tam lenio-  
ribus, quam durioribus); cujus species  
sunt: *Jus securitatis*, *indemnitate*, et *vio-  
lentie*.

Omnia haec jura *connata formalia* di-  
cuntur, quia ex essentiali natura genti-  
um, tamquam forma originaria per se intelli-  
guntur.

---

d) Gens, qua *Corpus politicum* gaudet jure *inde-  
pendentiae naturalis*, vi cujus constitutionem,  
formamque imperii quae magis placet eligere,  
et negotia constitutioni suae conformiter admi-  
nistrare potest, quin aliis gentibus se immi-  
scere liceat, quamdiu illarum securitas per id  
non periclitatur. Cumque uni personae morali  
(qua tali) prae alia nulla competat praerogativa,  
consequens est: gentes quoque originarie et  
juridice sibi esse *aequales*, etsi empirice con-  
sideratae, ratione impopulationis, extensionis  
territorii, item ratione culturae, et constitu-  
tionis etc. diversae, et inaequales sint.

*J. C. bon. Exist. — J. C. rerum. — J. C. quoad alias Gentes.*

Ex Jure personalitatis sequentia adhuc jura gentium connata (materialia) intelliguntur.

I. *Jus connatum bonae existimationis* 1) tam *naturalis*, (s. negativae, simplicis) seu jus postulandi ab aliis gentibus, ut eousque justa (non laedens) reputetur, donec probeatur contrarium; quam et 2) *adventitiae*, seu jus cuivis genti competens *positivam* quoque existimationem bonam acquirendi, conservandi, et altius provehendi.

II. *Jus connatum rerum externarum*, adoque:

1mo) *Jus rebus nullius libere utendi ac fruendi*

2do) *Jus res nullius apprehendendi, possidendi, in dominio suo tenendi, et ad quosvis fines justos applicandi cum exclusionem aliorum, atque sic acquirendi dominium rerum proprium, et ad jura haec sarta tecta que conservanda, jus securitatis, indemnitatis, et coactionis exercendi.*

III. *Respectu aliarum gentium* cuivis genti competit: *jus ope et auxilio juvandi gentes alienas* in conservatione et perfectione sui, item in jure connato bonae existimationis,

et jure rerum externarum. Quia activitas talis supremo principio juris consentanea est, dummodo auxilio hoc, jus independentiae aliarum gentium non violetur, neque injusti aliarum gentium fines, per illud promoveantur. a)

Omnia hucusque recensita jura gentium, sola ratione e natura gentis ut personae moralis intelliguntur, ideoque *connata* appellantur, et qua talia sunt: *originaria*, *universalia*, *immutabilia*, *aequalia*, *inacquisibilia*, et *inalienabilia* e toto, eo sensu, quo jura personarum physicarum in statu naturali viventium. b)

- 
- a) Causae injustae assistere, vel invitis opem obtudere nec gentibus licet; secus contra principium juris agerent, et in jus independentiae aliarum gentium involarent.
- b) Unde perspicuum est: statum naturalem absolutum gentium, esse *statum aequalitatis*, cui tamen inaequalitas jurium materialium hyp. minime adversatur. (§. 4. d.)
-

**C A P U T III.**

**DE OFFICIIS GENTIUM CON-  
NATIS.**

—  
§. 6.

*Officiorum (juris) notio, principium, species.*

Juribus gentium connatis correlatae sunt obligationes, et totidem *officia juris*, quae cuivis genti e dictamine rationis incumbunt, ac generatim in omissione earum actionum consistunt, quæ juribus connatis aliarum gentium adversantur.

Officia haec ad commune principium revocantur, quod sequenti formula enunciari potest: *Omitte omnes illas actiones, quae sociali gentium coexistentiae (seu legali libertati omnium gentium) repugnant.* — Ex summo hoc principio, omnia officia gentium juridica deducuntur, et quidem:

Imo. *Relate ad jus personalis subsistentiae* quaevis gens officio perfecto tenetur, nihil agere quod existentiae aut conservationi alterius gentis, tamquam personae moralis damnum vel jacturam adferre posset.

2do. *Relate ad jus personalis libertatis* obligatur gens abstinere ab omni actione, qua aliae gentes in justa perfectionis ac prosperitatis suae persecutione impediuntur, vel turbantur. — Pari ratione quaevis gens obligatur omittere omnes actiones, quibus aliae gentes in jure securitatis, indemnitatis, et coactionis injuste restringuntur.

3tio. *Ratione bonae existimationis* cuius genti incumbit officium abstinendi a facto, scripto, dicto, vel opere, quo justa alterius gentis apud alias existimatio, bonaque fama destrui, minui, aut labefactari posset.

4to. *Relate ad jus connatum rerum externarum* obligatur a natura quaevis gens nihil agere adversus jura dominii et proprietatis aliarum gentium; porro nulla ponere impedimenta usui et acquisitioni rerum nullius obstantia; nullam denique gentem prohibere ab usu libero rerum inexhausti usus, uti e. g. oceani.

5to. Denique cuius genti perfecta a natura incumbit obligatio, nullam aliam *in connato suo auxiliandi* ac opitulandi aliis gentibus Jure impediendi, ac turbandi.

*Officiorum horum violatio.*

Hinc gens quae haec officia violat, injusta est, et qua laedens juri coactionis subest. Sic in specie injustae sunt gentes:

1mo. Quae de independentia, aequalitate, vel de jure aliquo majestatico aliarum gentium quidpiam detrahere conantur.

2do. Quae territorium turbant alienum, quae externorum civium personas, aut etiam res violent; — quae legitimam imperii formam aliarum gentium mutare aut evertere student.

3tio. Quae aliquid in contumeliam aut contemptum alterius gentis moliuntur, vel absque speciali pacto peculiare honores aut titulos praetendunt; porro

4to. Injustae sunt gentes, quae exterorum negotiis se immiscent, ita ut plane de iisdem judicium affectent e. g. alienorum subditorum contumaciam re, opera, aut consilio sustentando; vel alteri populo qualitates Regis eligendi praescribendo, quia sic violent aequalitatem, et independentiam gentium.

5to. Quae alteram gentem impediunt, necum extraneis commercia foveat, vel ne mediis licitis suam possit augere potentiam, vel

ne ab amicis obtineat auxilia; quia sic laeditur gens in usu juris sui.

6to. Injusta est gens, quæ rerum alterius gentis possessionem sibi arrogat, aut personas militiae vel nuptiarum causa abducit. —

---

§. 8.

*Continuatio.*

Ast injusta dici non potest illa gens, quae propriis mercibus majus statuit pretium, quam aliis aequum esse videatur; quae cum hac potius quam cum illa gente exercet commercium; quae uni Civitati (genti) prae aliis novum titulum adscribit; quia hoc facit vi libertatis naturalis.

Sed nec illa gens agit injuste, quae exercitui novas sedes quaesituro, aut contra hostem proficiscenti transitum per territorium suum denegat; vel quae peregrinis foeminarum inopia laborantibus matrimonium cum suis foeminis non admittit; — vel denique peregrinos a territorio suo arcet. Nam populo armatam multitudinem admittenti, tum ab ipsis transeuntibus, tum ad horum adversariis summum impendet periculum: gens autem peregrinis faeminas magno numero pro matrimonio concedens, multos ex propriis

Subditis occasione legitimum ineundi connubium privaret: peregrinis denique praesertim majori numero domicilium tribuens, facile indigentiae periculo proprios Cives exponeret. — Hinc gens haec et similia aliis gentibus denegans injustitiae accusari nequit, siquidem nulla persona sive physica, sive moralis aliam cum damno et detrimento proprio perficere obligetur.

---

§. 9.

De gentium humanitate.

Praeter adlata officia gentium juridica (coactiva) passim *officia aequitatis* (ethica, imperfecta) quoque in Jure gentium naturali pertractari consveverunt, verum minus recte; nam cum officia haec ut imperfecta (*a coactione libera*) ubique a bona solum gentium voluntate dependeant, ideoque cujusvis gentis judicio relinquendum sit, an et quomodo ea implere velit; ad doctrinam juris referri nequeunt. a) Hinc gentes propter transgressio-

---

a) Doctrina Juris praefereenter *Jura* pro objecto habet, et correlata tantum his *officia juridica* (perfecta) coactionis sanctione munita, exhibet.

nem officiorum aequitatis (humanitatis) iniquitatis quidem, non autem injustitiae accusari possent.

Caeterum gravissimae rationes, prout et proprium cujuslibet gentis commodum, officiorum horum imperfectorum (ethicorum) adimpletionem svadent, mutuaque perfectionem urgent; quia quaelibet gens habet jus se perficiendi, jam autem ea est naturalis personarum tam physicarum, quam moralium, adeoque et gentium imbecillitas, ut nulla se sine auxilio aliarum plene perficere possit; nam nulla fere existit gens cui non aliquando ab aliarum gentium rebus, vel operis saltem aliqua major perfectio adferatur. Accedit: quod gens aequitatis ac humanitatis officia denegans, se odio aliarum gentium exponat, et in perpetuo vivat periculo, ne jus iniquum aliae gentes in ipsam retorqueant. Ideo passim fit, ut gentes ad comitatem, amorem, et humanitatem reciproce contestandam, tam in prosperis (veluti coronationis, pacis, nuptiarum etc.) quam etiam in adversis (uti mortis, terrae motus etc.) gaudium aut dolorem sibi invicem testari consveverint.

In specie vero mutuus populorum amor sese prodit potissimum, dum alter alterius intellectum perficere; scientias atque artes ad communem felicitatem propagare, et novas veritates, ac inventiones collata opera dete-

gere, viros doctos mutuo ablegare, veram  
que Religionem doctrina ac exemplo instilla  
re contendit.

§. 10.

*Continuatio.*

Humanitas gentium ad perfectionem statu-  
tus earundem externi quoque extenditur. *Per-  
fectio status externi* in aucta gentium positiva  
existimatione, et gloria, rerumque externa-  
rum<sup>1</sup> abundantia, ac incremento consistit. Po-  
stulat igitur humanitatis ratio, ut gens una  
alterius<sup>1</sup> gloriam et existimationem promove-  
at, atque efficiat, ut ea, quae ad ejus ne-  
cessitatem, utilitatem, aut etiam jucundita-  
tem pertinent, facilius consequatur. Hinc con-  
siliium [in dubiis negotiis, medicamenta gras-  
sante morbo, operam pro pace concludenda, imo  
annonam quoque penuria ingruente, aut milites  
quo injustus depellatur hostis, gens una alte-  
ri saepe praestare solet; quia haec ad perfici-  
endam gentem valent. a)

e) Incassum objiciunt: *a regulis politices alienum  
esse, iis praestare auxilia et adminicula, qui  
haec ipsa<sup>1</sup> in interitum dantis convertere pos-  
sunt!* enimvero nihil aliud inde sequitur,

Quum autem mutua rerum communicatio, contractu permutatorio instituta, non modo inter singulos homines, sed etiam inter gentes maximae sit utilitatis; omnia media ad promovendum commercii florem apta, et necessaria adhibenda sunt, secus enim gentes multarum rerum usu, quas vita humana desiderat, ob locorum distantiam carere deberet, non enim omnis fert omnia tellus! Quapropter gentes mutuae perfectionis ac utilitatis causa debent *Emporia*, *Nundinas*, et portus constituere tutos, nominare *Consules* (seu personas quae in emporiis, et portibus pri-

---

quam tenendum esse beneficii et permutacionis modum. Sane male sibi consuleret gens, quae arma hostibus suppeditaret, vel artem aptiora conflandi tormenta, construendi habiliores naves bellicas, aliaque arcana opifica aut artistica cuiquam genti statim proderet. Quapropter gens quod uni genti praestat, id ipsum potest alteri sine injuria denegare. — Hinc sequitur: cujusvis populi iudicio relinquendum esse, an e. g. arbitri munus inter duos qui bellum gerunt, ipse suscipere possit? — an commercium nullo pacto speciali definitum, cum vicinis populis prosequi, vel restringere, vel mutare, aut tollere velit. Sic res aut personae morbo pestilenti infectae, in finibus territorii 30 vel 40 dierum mora (*quarantaine*) detineri, aut plane arceri possunt; quia nec gens cum detrimento proprio, aliis prodesse tenetur.

vilegia suæ nationis custodiant, et lites inter mercatores ortas breviter, et sine magnis sumptibus decident); — quia hæc sunt media commercium promovendi. Impedimenta vero Commercii uti: *propolium* (seu privilegium emendi res invectas antequam eas aliis emere liceat); *jus stapulae* (seu jus sistendi merces in fluviis, et certis locis, ut eas vendere, aut secus tributum praestare necesse sit); pro ut et *nimia vectigalia*, abrogare, et tollere.

§. 11.

*C o n c l u s i o.*

In eo quoque mutua gentium humanitas, ac comitas conspicua redditur, si negotia in alieno territorio gesta, quæve propriis non adversantur legibus in suo quoque pro firmis, et validis agnoscant, uti jura nobilitatis, pubertatis, majorennitatis, familiae; quia hoc ad perfectionem status externi pertinet, mutuam gentium harmoniam promovet, commercium ac peregrinationem alleviat, reciprocam officiositatem inducit, amicitiasque civitatum firmat; gens enim humanitatis officia aliis denegans, exponit se retorsioni, et odio aliarum gentium.

E quibus perspicuum est: multas cum  
 officiorum imperfectorum observantia et cul-  
 tu connexas esse utilitates, eorum transgres-  
 soribus autem non levia ab aliis populis  
 imminere incommoda, quae gentes ad comi-  
 tatem et humanitatem reciproce exercendam  
 exstimulant. „Namque magis est secundum  
 „naturam pro omnibus gentibus si fieri pos-  
 „sit conservandis aut juvandis maximos la-  
 „bores molestiasque suscipere, quam vivere  
 „in solitudine, non modo sine ullis mole-  
 „stiis, sed etiam in maximis voluptatibus  
 „abundantem omnibus copiis.“ Cic. de Off.  
 III. 5.

## CAPUT IV.

## DE JURIBUS ACQUISITIS MODO ORIGINARIO.

## §. 12.

*Factum acquisitionis.**Occupatio.*

Quaelibet gens habet jus territorium suum, et cum eo universam juris sui sphaeram extendendi, modoque tam originario (occupatione) quam et derivativo (pacto) Dominium rerum acquirendi. Nam gentes sunt personae morales, et qua tales vi juris conati rerum, ita sicut personae physicae in statu naturali viventes *res nullius* (in medio positas) facto unilaterali, seu *Occupatione*, res autem aliarum gentium facto bilaterali id est *pacto* acquirere possunt.

Vi hujus juris gens majorem terrae tractum qui ad nullius alterius gentis territorium pertinet *occupare*, sibi habere, et excolere, omnes actus domino (in re sua) licitos ponere, aliasque gentes inde excludere potest. Unde et jus remotiores quoque regiones vacuas, uti insulas desertas, vel terrae partes non inhabitatas, incultas, trans mare sitas apprehendendi, prout et jus in

remotioribus orbis partibus *Colonias fundandi*, suapte intelligitur. a)

---

a) Nec juvat objicere: *Gentem talem nimis potentem evadere!* nam Coloniae certo sub respectu ipsam Civitatem matricem debilitant. Injustum tamen foret, in alieno territorio invitis legitimis possessoribus colonias fundare, illosque expellere vel subjugare velle. In alieno enim territorio Coloniae non nisi post ultroneam partis alicujus cessionem figi possunt, seque intra praefixos limites continere debent. — Relatio autem juridica Coloniarum ad Civitatem matricem, juris positivi indolem praesefert, quia ab hujus arbitrio dependet, qualianam jura Coloniis suis tribuere velit. Jura tamen civilia universalia nec Coloniis denegari possunt, nisi eae ex deportatis delinquentibus coaluissent. — Quodsi vero Coloniae successu temporis ad tantum jam culturae ac potentiae gradum pervenissent, ut independentem statum efformare possint, tunc si non elibertandae, (emancipandae) certe juxta liberaliora principia per Civitatem matricem tractandae erunt, quia experientia constat, Colonias tales se eo alacrius emancipasse, quo durius habitae, et quo magis ad dependentiam adstrictae sunt. Prout id et Magna - Britannia in America Sept. proprio detrimento experta est.

---

*Notio Domini Gentium.*

E praemissis patet, inter gentes quoque dari verum *dominium rerum*, seu jus perfectum et perdurans de rei (externae, determinatae) substantia et consecrariis, proprio nomine et arbitrio, cum exclusione aliarum gentium libere disponendi.

Et quidem gentes dominium rerum modo originario (occupatione) acquirunt, si rem originariae acquisitionis capacem, (h. e. rem nullius, determinati, exhaustibilis usus, apprehensionis, possessionis, signationisque capacem,) realiter apprehendant, et animo sibi habendi ut suam ac propriam signent. Ideo loca ab aliis gentibus vel etiam familiis inhabitata, etiamsi rudes, humanitatis ignari, et nullius religionis forent, occupationis obiectum esse nequeunt, quia non sunt nullius; ita bona naufragorum ad littora gentis alicujus ejecta occupari non possunt, quia non sunt nullius; jure tamen *colligendi naufragium* licite colliguntur, salvantur, custodiuntur, et tamdiu detineri possunt, donec pro expensis in conservationem eorum factis satisfactio praestita fuerit. a) Porro: nec res

---

a) *Jus littoris* igitur non nisi relate ad res nullius, quas mare ad littora alicujus gentis ejicit,

inexhausti usus, occupationis objectum esse possunt, uti e. g. Oceanus, quia nec apprehendi, nec sufficienter signari, aut custodiri possunt, ideoque in nullius gentis dominium cadunt. Contra: portus, litora, freta, partes maris (quae territoria alluunt) occupari et in dominium gentis cadere possunt; nam *mare terrae proximum* non est inexhausti usus, verum piscationi, et collectioni margaritarum, corallorum, succini, faciendoque sali inservit, et teste experientia certis limitibus definiri, vicinisque classibus prout et tormentorum explosione possideri, custodiri, defendique potest, ita, ut invitis possessoribus exteri loca haec nec tenere, neque naves eorum praetervehi possint.

§. 14.

*Apprehensio et Signatio.*

Quoniam et res nullius non ante fiunt propriae, quam ubi sufficienti facto a gente apprehenduntur, manifesto consequitur: solum

---

concipi potest, et a *jure colligendi naufragium* probe distinguendum debet.

animum acquirendi, nisi et realis sequatur apprehensio, nullum genti tribuere peculiare jus; ad occupationem enim non sufficit aliquid vidisse tantum, aut scire ubi illud sit, aut medio non idoneo apprehendere.

Quare si gens una insulam vacuum degeret, aut tormenti globum in illam vibraret, altera vero eandem animo sibi habendi irgrederetur, realiter apprehenderet, et signaret; hujus non illius insula fieret propria. Occupata autem regione non etiam acquiritur imperium in homines ibidem per loca deserta vagantes, quia homines ut personae non sunt res, nec nullius, ergo pristinam suam libertatem tueri possunt, atque ab omni occupatione semper sunt immunes, falsa igitur est eorum doctrina, qui Imperium in regionem vacuum cum dominio occupari docent.

Peregrini autem qui ita occupatum territorium sive perpetuae habitationis causa, sive ad tempus accedunt, imperium et jurisdictionem gentis occupantis agnoscere tenentur; quia gens vi juris territorialis habet jus omnes externos ab aditu excludendi, consequenter nemini ingressum ad suas terras aliter concedere intelligitur, quam si legibus morem gerat, ergo qui alienum territorium ingrediuntur legibus se tacite subjiunt, et

pro tempore commorationis ab imperio et jurisdictione gentis pendent.

---

§. 15.

*Effectus Occupationis.*

Effectus occupationis: est plenum *Jus domini* rerum omnium ad occupatum territorium pertinentium; nam occupatio suis requisitis instructa, omnes conditiones in se complectitur, sub quibus jus domini rite ac legitime acquiri potest. Unde populus, qui regionem vacuum animo ibi sedes figendi ingreditur, apprehendit, certis limitibus circumscribit, animoque habendi ut suam et propriam signat, acquirit *generale dominium* rerum omnium ad territorium pertinentium.

a) Quapropter quidquid in territorio reperi-

---

a) Res a gente occupatae, non fiunt immediate singulorum propriae, sed sunt tamdiu in condominio omnium, (communione positiva) donec in minores societates, vel singulos Cives certae portiones distribuuntur. Hinc gentis res aliae sunt *communes* (nullius in specie) aliae *publicae* (totius populi) aliae *universitatis* seu in dominio minoris alicujus societatis, aliae *singulorum*, seu jure domini ad singulares Cives pertinentes.

tur, uti sunt montes, sylvae, pascua, loca inculta, flumina, lacus, rivi, paludes, ferae, volatiles, terrestres, natantesque bestiae, metalla, et fossilia, verbo: quidquid supra vel infra terram est, id omne proprium est totius gentis ita, ut illa invita alteri nec res jacentes occupare, nec in territorio morari, immo nec illud ingredi liceat; quia gens qua dominus de re sua cum exclusione aliorum disponere potest. Hinc Imperans qua Repraesentans gentis suae habet jus 1mo Causas controversas peregrinorum in suo territorio cognoscendi, decidendi, ac exequendi. 2do delinquentes in territorio, poena in foro delicti statuta adficiendi. 3tio *Jus albinagii* (quo exteri jure successionis in bonis defuncti Civis vel peregrini excluduntur) exercendi, dummodo noverint sub hac conditione tantum aditum patere.

*Jura dominii specialia.*

Vi juris dominii quaelibet gens habet jus omnes eos actus circa rem suam ponendi quibus jura aliarum gentium non laeduntur. Hinc si jus dominii quoad partes suas constitutivas expendatur, genti:

I. Vi *Juris proprietatis* sensu stricto, quod alias etiam jus disponendi quoad ipsam rei (dominio obnoxiae) substantiam, vocatur; competit Imo Jus res suas *immutandi* quoad ipsam substantiam uti formatione, specificatione.

2do. Jus res suas ad arbitrarios fines impendendi, consummendi, imo annihilandi et destruendi, dummodo id fiat sine laesione alterius gentis.

3tio. Jus *dominio rerum suarum semet abdicandi* i. e. juri suo in res legitime quaesitas renunciandi derelictione, vel alienatione; adeoque Jus res suas donandi, mutuandi, commodandi, vendendi, oppignorandi, porro: Jus *Servitutum in re sua constituendi*; a)

---

a) *Servitus* est obligatio intuitu rei contracta, vi cujus gens in re sua aliquid pati vel non facere tenetur in commodum alterius. e. g. si nulla fortalitia ipsi aedificare liceat, aut collectionem militum in suo territorio admittere obligetur, etc.

denique Jus rei suae dominium dividendi inter plures gentes quoad substantiam, vel consecraria, aut utrumque.

II. *Vi Juris ususfructus* (ejus nomine venit jus de consecrariis i. e. de accidentiis et fructibus rei suae cum exclusione aliorum disponendi) genti competit jus :

Imo de usu ac fructibus rei suae salva ejus substantia, libere disponendi.

2da. Jus alias gentes ab usu ac fructibus rei suae excludendi, omnemque etiam innoxium rei suae usum aliis denegandi.

3tio. Jus quaevis accessoria rei suae habendi ut sua et propria.

4to. Jus rem suam quoad usum aut fructus ex ea provenientes immutandi, meliorandi et deteriorandi.

5to. Jus ab usu rei suae, et ejus fructibus abstinendi.

III. *Vi Juris possessionis* cuilibet genti circa rem suam dominio obnoxiam sequentia competunt jura:

1mo. Jus quamvis aliam gentem a possessione rei suae quoad omnes et singulas partes excludendi.

2do. Quemvis possessionis aut detentionis actum circa rem suam aliis gentibus vetandi et denegandi.

3tio. Jus rem suam asservandi, repoen-  
nendi, includendi, ac in custodia tenendi.

4to. Jus se in possessione rei suae ad-  
versus quamvis aggressionem tuendi, ac de-  
fendendi.

5to. Jus rem suam amissam, ablatam,  
ereptam, perditam repetendi, et in casu ne-  
cessitatis eam violente quoque a quocun-  
que vindicandi. b)

---

b) *Jus dominii gentium* etiam limitari et extin-  
qui potest e. g. per pacta. — At *jus extre-  
mae necessitatis*, et *innocentii usus* bonorum al-  
terius gentis e. g. fluviorum, maris subjecti,  
littoris, ad reficiendas naves; etc. gentibus ex-  
rationibus in jure naturae privato adferri so-  
litis, denegandum est! quod ipsum de *usuca-  
pione* et *praescriptione* utpote Juris positivi in-  
vento, tenendum.

**C A P U T V.**  
**DE JURIBUS ACQUISITIS GEN-**  
**TIUM EX PACTO.**

§. 17

*Conventa publica, eorumque species.*

Gentes qua personae morales jura etiam derivativo modo i. e. pactis acquirere possunt, proximum igitur est, ut de variis hisce pactorum generibus agamus.

Pacta, quae inter gentes, aut earum representantes de negotiis publicis ineuntur, *Conventa publica* audiunt. a) Ab his probe distinguenda sunt *pacta privata*, quae nimirum civis cum cive, aut cum populo extero, vel imperantes inter se ineunt in negotiis privatis, veluti si filia a rege alteri regi despondeatur. b)

a) Pacta gentium (essentialibus pactorum requisitis instructa) juridice valida, ideoque sancte et fideliter servanda sunt; cumque iis mutua gentium jura et Officia pertractentur, non immerito *Tractatus* (*Traités*) nomine etiam insigniuntur.

b) Caeterum et haec pacta (privata) eatenus publica dici possunt, quatenus gens a Civibus suis injurias praecavere tenetur. —

Conventa publica quae singularem tantum et transitoriam praestationem pro objecto habent, generali *pactionis* nomine veniunt; si vero obligationem quamdam durabilem, et specialem societatem inter duas vel plures gentes stabiliant *foedera* appellantur.

Foedera dividuntur 1) in *prudenda*, (seu sic dicta *foedera simplicis amicitiae*) quorum objectum est talis praestatio, ad quam gens una erga aliam vi legis naturalis iuridicae jam obligabatur; e. g. pactum de non laedendo; atque haec cum hostibus, et iis, qui peregrinos hostium accensent numero utiliter sanciuntur. — 2do) in *non prudenda* (s. arctioris conjunctionis) quae videlicet talem praestationem, ad quam gens vel nullatenus, aut solum lege humanitatis obligabatur, involvunt. Talia sunt innumera, veluti: foedera de vectigali pro mercibus non solvendo; de alterius gentis subditis non recipiendis; de delinquentibus mutuo extradandis; de arce in confiniis alterius populi non habenda; de mutua successione etc.

*Foedera aequalia, inaequalia.*

Foedera non pudenda (s. arctioris conjunctionis) iterum dividuntur:

I. In *aequalia*, quae videlicet aequalem praestationem ex utraque foederantium parte involvunt; et

II. In *inaequalia*, in quibus gentes nec eadem, nec aequipollentia sibi promittunt.

Inaequalitas haec foederum oritur:

1mo.) *Ratione praestationis*, si ex una parte plus promittatur, quam ex altera.

2do.) *Ratione honoris*, si una gens alteri ad concedendam aliquam praerogativam obligetur.

3tio.) *Ratione libertatis*, si una gens in gratiam alterius gentis confoederatae moenia diruere, navigatione abstinere, certam gentem bello non aggredi debeat.

4to.) *Ratione imperii*, si foedere determinetur, ut pars quaedam potentialis imperii, vel juris alicujus majestatici exercitium a consensu gentis confoederatae dependens efficiatur: veluti ne bellum gerere possit. — Ultima haec species foederum imminuit majestatem, quia dependentiam involvit, et tollit aequalitatem gentium sensu stricto sumtam. —

*Foedera personalia , realia.*

Porro Foedera vel sunt *personalia*, quae tantum ad dies vitae paciscentium (monarcharum) durant; vel *realia*, quae etiam ad successores transeunt. — *In dubio omne foedus est reale praesumendum*; quia foedera, qua conventa publica tendere debent ad utilitatem publicam, ideoque per Rectores tamquam Repraesentantes gentium concluduntur; gentes autem extinctis Rectoribus non extinguuntur. Unde foedera a monarchis nomine totius populi percussa, et realia esse intelliguntur, donec vel *ex verbis*, aut *ex causa* contrahentium, vel denique *ex natura negotii* contrarium adpareat. Sic e. g. *ex verbis* colligitur foedus esse personale, si ad dies vitae principis ineatur; *ex causa contrahentium*, si militare imperium senior, vel peritior foederatus obtineat; *ex natura negotii*, si e. g. tutelae gestio promittatur; quia personales qualitates personam non egrediuntur. Attamen propterea non est personale foedus, quod nomina paciscentium monarcharum sint inserta, quia hoc ideo fit, ut constet quocum pactum initum sit; sed nec ideo personale efficitur foedus, quod ad tempus e. g. ad quinquaginta annos, vel ad certum reipublicae statum sit restrictum; quia

in utraque specie obligatio ad [successores imperantes (etiam plures) transire potest, tale foedus autem reale est. a)

---

§. 20.

*Systema Civitatum.*

Utilissima foederis species est *Confoederatio* seu sic dictum *Systema Civitatum*, per quod intelligitur foedus, quo plures gentes semet ad mutuam defensionem adversus externos hostes obligant.

Vi hujus confoederationis Imo. Omnibus confoederatis aequale competit jus exigendi auxilia adversus extraneos hostes, et media ad hunc finem determinandi.

2do.) Negotia communia per vota unanimitia, vel per plura unanimiter introducta vota

- 
- a) Foedera non tantum cum gentibus cultioribus, religionem Christianam profitentibus, sed etiam cum populis barbaris, falsae religioni addictis valide ineuntur. Quia foedera sunt pacta, ad valorem autem pactorum sufficit verus consensus, et possibilitas praestationis, quorum neutrum tollit falsa religio, aut minor culturae gradus.

singularum gentium in conventu repraesentantium determinanda sunt.

3tio.) Quaelibet foederata Civitas pristinam suam imperii, et regiminis formam, prout et majestatem immutatam retinet, quia ex foedere ad mutuum tantum auxilium obligantur.

4to.) Utrumque Civitas una ab hostibus impetitur, ab omnibus foederatis exigere potest, ut se unitis defendant viribus, ne secus systema dissolvatur.

5to.) Salus totius Systematis Civitatum, saluti unius Civitatis praeferri debet; quia in Collisione duorum bonorum, majus praefendum est minori.

6to.) Systema Civitatum probe distinguendum est ab *Unione Civitatum* sensu stricto, (in qua videlicet ex connexis civitatibus una evadit,) quia in Systemate Civitatum commune imperium deest.

---

§. 21.

*Effectus et interpretatio Foederum.*

Foedera legitime inita, si casus existat foederis, sancte sunt servanda, quia sunt pacta, quae sancte et fideliter servari debent; deinde violatio foederum communi gentium

saluti adversatur, et gravis laesio est, ideo foedera eminentiori quodammodo sensu *sancta* nominari meruerunt. — At si error, vel dolo essentialis intercessit, foedus est nullum, sub accidentali autem errore, vel dolo initum subsistit quidem, obligationem tamen damnificatum indemnem servandi, post se trahit. Etsi vero gentes in foederibus pangendis aequitatis quoque rationem habere tenentur, ea tamen quae sine errore ac dolo, et a consentientibus inita sunt, aequa censentur, licet fuerint inaequalia, plures enim subesse possunt justae causae, ob quas ab aequalitate recedatur. Quare nulla tunc competit restitutio praetextu laesionis.

Si de foederibus ob indeterminatum eorum sensum dubium oriatur, illa juxta regulas interpretationis pactorum explicanda sunt; omnium primo igitur verba foederum rite perspicere oportet, et sicut in caeteris pactis, ita et in foederibus ea tenenda est verborum significatio, quam recta interpretatio suggerit. Sic e. g. *foedus, ne populo bellum inscio altero facere liceat*, necessariam defensionem non excludit, quia sequeretur absurdum, videlicet interitus populi: et alioquin per bellum simpliciter prolatum intelligitur bellum offensivum.

Quemadmodum alia pacta, ita foedera quoque non modo expresse, sed et tacite ini-

ri possunt; nam et his quaedam conditiones tacite inesse possunt, quae observari debent, quia ea est vis pacti taciti, quae expressi. Hinc praestare promissa auxilia nequit, qui domi suae hostem habet. Sic qui receptus est a gente, tacite promittit se adversus ejus securitatem nihil esse facturum. Ex eadem causa, petens colloquium, hoc ipso tacite pollicetur, id collocutoribus fore innoxium; quia hae conditiones sunt naturales.

---

§. 22.

*Foederum Concursus.*

Si plura foedera potissimum bellica concurrant ita, ut omnibus satisfieri nequeat, illi genti sunt prius praestanda auxilia, quae prius foedus inivit, quia prior tempore potior jure. Nisi forte gens illa injustum gereret bellum, quia injustum hostem adjuvare non licet. Qui tamen foedus inivit secundum, et prius ei contrarium dissimulat, injuste agit; adeoque ad indemnitatem laeso praestandam cogi potest.

Si vero uno eodemque tempore initum esset foedus cum pluribus gentibus, tunc si bellum gerant contra extraneum, utrique simul imploranti pro rata praestanda sunt auxilia, quia sunt promissa; sed si se foede-

rati invicem bello petant, neutri in causis dubiis succurrendum erit, quia secus ejusdem gentis copiae contra se pugnarent, jam autem pacto unionis civilis adversatur, ut Cives ejusdem gentis se mutuo interficiant.

---

§ 23.

*Obsidis datio.*

Foedera iisdem *modis communibus* quibus alia pacta firmari possunt, uti: juramento, oppignoratione, fidejussione etc. vel etiam *modis propriis*, uti: Obsidis datione, et Garantia. *Obsides* sunt personae (plerumque illustres) quae consensu unius imperantis in alterum transferuntur, ut ibi resideant (obsideant) quasi pignus in securitatem rerum praestandarum. — Ex hac definitione evidens est:

1mo.) In Obsidum datione non vitam, sed libertatem tantum obsidis oppignorari.

2do.) Jus dandi obsides soli supremae potestati competere, quia haec sola totius gentis nomine agere, atque publica cum aliis gentibus pacta concludere potest.

3tio.) Solum subditos (etiamsi invitos) dari posse obsides, non autem peregrinos; quia peregrini non nisi pro eo tempore, quo

commorantur in territorio alieno, se subi-  
ciunt ejusdem Imperanti, nec se ad aliud  
obligant, quam ad non turbendam securita-  
tem illius territorii.

4to.) Obsidem in honesta custodia deti-  
neri posse, quia datus est quavi in pignus,  
in securitatem rerum praestandarum: neque  
eum aufugientem a gente mittente recipi pos-  
se, quia ageret contra pactum.

5to.) Obsidem non fieri servum, adeoque  
illum ad praestandas operas cogi nequire,  
quia hoc idem foret ac re oppignorata uti. —  
Quamprimum vero gentis, a qua traditus est  
obses, adparuerit perfidia, obses in capti-  
vitatem, ac servitutem redigitur sine inju-  
ria; sed etiam tunc ejus bona non possunt  
in fiscum redigi, quia non ejus bona, sed  
tantum libertas fuit oppignorata; nisi ipse  
pro sua gente *fidejussorem* vel *expromisso-  
rem* egisset, quia tunc evadit debitor ita,  
ut haec obligatio etiam ad haeredes transeat,  
quia heres succedit in omnibus realibus obli-  
gationibus defuncti.

6to.) Obsidem impleta obligatione in cu-  
jus securitatem datus est, dimittendum esse.

7mo.) Obside mortuo, ad heredes ejus  
obligationem non transire, nisi una cum fa-  
milia sua datus fuisset pro obside.

*Continuatio.*

Quaeritur: An obses praestitis in quorum securitatem datus est, aliam ob causam detineri possit?

R. 1mo.) *Obses qui proprio suo facto e. g. contractis, et non solutis debitis, novam detentionis suae causam suppeditavit, porro detineri, et reditu in patriam jure prohiberi potest; quia imperanti competit jus subditorum suorum jura adversus quosvis extraneos laedentes tuendi et defendendi, qui tamquam subditi temporarii ejus supremae potestati subsunt.*

2do.) *Obses praestitis etiam in quorum securitatem datus est, aliam quoque ob causam per gentem mittentem suppeditatam, detineri potest; (uti e. g. si gens obsidem dans aliam obligationem, qua erga gentem obsidem recipientem tenebatur violavit) quia tali in casu genti laesae jus pignoris in omnes gentis laedentis subditos, ergo in obsides quoque competit. — Accedit: quod Creditor pignus possidens, illud expuncto etiam debito primario retinere possit, si illud necessarium medium ad avertendam juris laesionem constituat; jam autem obses vices pi-*

gnoris, non fidejussoris subit, ergo detineri potest.

---

§. 25.

*G u a r a n t i a.*

Firmantur quoque foedera promissione adjectitia, seu sic dicta *Guarantia*, per quam intelligitur foedus accessorium, quo uni vel utrique genti, foedere quodam junctae, alter populus promittit, se omnia media adhibiturum, ut foedus illud servetur; is qui hoc modo se in conventionem interponit, *Guarandus* vocatur, et tacitum simul in foedus de auxilio bellico ~~est~~ <sup>ad id spectans, illud</sup> ferendo, qui contra foedus ageret; quia arma possunt esse medium aptum ad promissionem guarandi adimplendam. Illud autem ex natura gvarantiae intelligitur, non deberi auxilium, nisi imploretur ab indigente, quia fieri potest, ut gens laesa eo non indigeat; nec in alia causa, aut contra alias gentes, quam conventum est, quia nemo aliter obligatur ex pacto, quam se obligatum velle declaraverit, atque res inter alios actae, aliis non possunt praëjudicare. Hinc Gvarantia non intelligitur nisi salvo jure tertii.

Differt tamen Gvarantia (mo.) a *foedere*

*defensivo*, quo promittuntur auxilia bellica ad jura gentis alicujus sarta tectaue conservanda. a) quia foedus defensivum est foedus principale, quod per se iniri, et intelligi potest, gvarantia vero est foedus accessorium, absque alio principali quod firmat non intelligibile. 2do.) A *fidejussione*, qua gens promittit se praestiturum, quod altera debet, si haec non praestiterit; hoc enim gvarandus nunquam promittit; praeterea in *fidejussione* solutio, in *gvarantia* autem auxilium bellicum promittitur; convenit tamen

- 
- a) *Foedera defensiva* rationis assensu non tantum probantur, sed etiam praecipuntur, quia ad jura gentium conservanda, necessaria sunt. — At *foedera offensiva* a duabus gentibus ad bellum sine justa causa tertiae genti inferendum inita, injusta sunt, ideoque juri gentium adversantur; quia pactum de laedendo alio est ipso jure nullum. Accedit: quod foedus offensivum indirecte contra aliarum quoque gentium securitatem dirigatur. — Caeterum cui libet genti jus est etiam citra foedus defensivum, ad defensionem cujuscumque gentis injuste aggressi concurrenti, quia injusta aggressionem contra unam gentem directam, aliis quoque gentibus summum imminet periculum; quatenus videlicet optatus successus aggressorem ad laedendas alias quoque gentes pronum efficit.

Gvarantia cum fidejussione in eo, quod utrumque sit pactum accessorium. — Commune vero id est omnibus hisce conventis, quod et eo inconsulto, de cujus fide metuitur, celebrari possint; quia fundantur in jure naturali removendi laesiones.

§. 26.

*Modi foedera dissolvendi.*

Cessant foedera (prout et jura et obligationes ex iis promanantes) generatim iisdem modis, quibus pacta, uti: *mutuo dissensu; lapsu temporis; promissione impleta; ob alterius perfidiam; et remissione.* Speciatim vero desinunt *foedera personalia* morte imperantis, quia ad dies vitae ejus erant restricta; *realia* autem interitu populi, quia tunc ad successores obligatio transire non potest. — Non cessat tamen foedus reale mutata imperii aut regiminis forma, aut mutato imperante, quia propterea idem manet populus: nisi voluntas paciscentium foederantium ad certum reipublicae statum alligata fuisset, quia deficiente conditione deficit conditionatum. a)

---

a) Si Rex a tota natione expellatur, illeque aut ejus actecessores sibi pro hoc casu foedere sti-

Sed et *remissione* tunc tantum cessat foedus, si ipsa gens foederata juri suo renunciaret, non pro ea tertius quidam, quia nemini invito jus suum per tertium auferri potest. Denique foedera obligant ex justitia etiam sine juramento, quia sunt pacta, quae per se producant obligationem justitiae.

§. 27.

*Sponsiones publicae.*

A foederibus probe distinguendae sunt *Sponsiones publicae*, seu pacta (conventa) a ministris Civitatis de rebus et negotiis ad eandem pertinentibus, sed sine ullo mandato imperantis, aut ultra fines concessae potestatis, cum alia gente celebrata. Sponsiones

---

pulati sint auxilia, tunc gens foederata tenetur ex justitia praestare auxilia, quia adest casus foederis. Quodsi autem promissa quidem sint auxilia, sed tantum *in genere*, tunc in casu ejecti regis, ex justitia praestari non debent, quia non adest casus foederis; cum tamen expulsio imperantis semper illicita esse praesumatur, ideo a gente quae imperanti succurrit, rebellibus nullam inferri injuriam, evictum est. Ergo etiam ex justitia potest adjuvari ejectus rex, jus enim regni manet penes ejectum.

imperantem (nisi expressa vel tacita ejus accesserit ratihabitio) non obligant, quia nemo alterum invitum pactis obligare potest. Unde perspicuum est: Imperantem vel gentem ex hujusmodi sponsione ministri sui ad nihil prorsus teneri, nec ad id quod interest, nec ad rem reponendam in eum statum, in quo erat ante sponsionem, quia non est causa moralis damni: Lucrum tamen, quod spe ratihabitionis ex re alterius gentis perceptum est, non secuta ratihabitione, ex justitia naturali restitui debet, quia non licet locupletari cum damno alterius. Illa autem pacta quae ministri intra fines mandati saltem taciti cum alia gente celebrant, non sunt sponsiones sed conventa publica; nam cui potestas aliqua data est, ei jus quoque ad media apta et necessaria concessum videtur. Contra si imperans Conventionem faceret legibus fundamentalibus adversam, sine ratihabitione nationis est invalida.

Caeterum Sponsors publici ad sequentia obligantur: 1mo.) Si sponsiones (ab aliena voluntate pendentes) ratihabendas promiserunt, omnem industriam adhibere tenentur, ne improbentur. 2do.) Si vero diserte polliciti sunt rem certo ratam habitum iri, vel plane alteram gentem (praeseferendo potestatem nomine imperantis sui contrahendi) deceperunt, tunc ad damnum culpa vel dolo da-

tum, proprio aere, vel si hoc non sufficiat, etiam servitute reparare tenentur, nisi prae-  
vie certa poena conventionalis statuta fuis-  
set, cui se promittens pacto subjecit, si  
promissa praestare neglexerit.

---

## CAPUT VI.

### DE LEGATIONIBUS.

---

§. 28.

#### *Legatorum notio.*

Gentes earumque imperantes negotia sua belli et pacis, prout et foedera ineunda legatis, potestate ad publica pacta concludenda instructis, committere consveverunt.

*Legati* sunt personae, quibus tamquam subditis gentes sua negotia, cum aliis gentibus coram, et solemniter gerenda committunt. Ex hac definitione intelligitur:

1mo.) Illos tantum esse veri nominis legatos, qui *Subditi* sunt ejus gentis, cujus negotia cum aliis gentibus tractant: nam qui non sunt subditi ejus gentis pro qua se interponunt, *internuncii*, vel *mediatores*, non autem legati dicendi sunt.

2do). Nec illi sunt legati, qui subditi quidem sunt, et negotia publica gentis externa tractant, verum in territorio suae gentis; sed sunt *Ministri Status*.

3tio.) Legatorum nomine insigniri nequeunt illi, qui licet sint subditi, et negotia publica externa, eaque extra territorium tractent, sed sine solenni mandato; quia legati sunt subditi, quibus gentes sua negotia cum aliis gentibus coram et *solemniter gerenda* committunt.

4to.) Denique a Legatis differunt *agentes* (qui negotia Imperantis vel Civium privata, intra vel extra Civitatem procurant); *deputati* (qui a Subditis ad Imperantem); et *Commissarii* (qui ab Imperante ad Subditos mittuntur.)

Jura et obligationes illorum qui munere legati funguntur, ex duplici officio dignoscenda sunt, nimirum: procuratoris, et ministri. *Procuratores* sunt, quia negotia sibi demandata nomine gentis suae gerunt. *Ministri publici* quia negotia publica perfecte obire obligantur ut subditi.

Caeterum missio legatorum non semper est necessaria, quia fieri potest, ut Subditus gentis, jam alia de causa sit in territorio alterius gentis, cum qua solemniter tractare jubeatur.

## §. 29.

*Character Legatorum.*

Legati gaudent Characterē sic dicto *repraesentatio*, seu facultate exigendi, ut qua vicarii et repraesentantes gentium, non vero ut privatae personae tractentur. Quia Legati negotia sibi commissa, non proprio, sed gentis vel imperantis committentis nomine administrant, adeoque hujus personam repraesentant.

Character iste repraesentativus vel est *generalis*, vi cujus legatus gentem mittentem tantum ratione solius negotii repraesentat, et communis est omnibus legatis, quia ex natura legationis intelligitur; vel *specialis*, vi cujus etiam dignitatem mittentis imperantis repraesentat, ut legatus perinde haberi debeat, ac si mittens ipse praesens esset. Character iste non est omnibus legatis communis, quia est arbitrarius, utpote ab arbitrio mittentis dependens, variisque titulis et honorum significationibus insignis. Sic legati cum speciali characterē missi, habent solemnem introitum, solemnem audientiam, jus tegendi caput in solemni audientia etc. quae ex populorum moribus passim cognoscuntur, ideoque ad jus gentium positivum pertinent.

*Jus Legationis.*

*Jus Legationis* est facultas legatos mittendi, missosque recipiendi. Jure legationis illi tantum gaudent, penes quos est summum imperium, sive dein regna sint, sive republicae, sive proceres imperii electivi durante interregno, quia jus mittendi legatos est jus majestaticum. Quando autem in bello civili duo inter se decertant regni aemuli, tunc jus legationis competit possessori imperii, quia in dubio ob jus connatum bonae existimationis ille pro legitimo imperante habendus est; et nisi gentes legatos ab hoc missos agnoscerent, laederent alteram gentem, quia in ejusdem negotiis arrogarent judicium decisivum. — Quodsi in bello civili populus in duas partes sit divisus, uterque aemulorum habet jus mittendi legatos, quoniam duae pro tempore fiunt civitates.

*Litterae Credentiales.*

Ne autem quis personam legati mentiri, et per fraudem induere possit, oportet legatos *litteris Credentialibus* muniri, seu scripto testimonio publicae fidei, ex quo imperans

ad quem venit legatio, cognoscere possit, quis et a quo, in quam rem, quali cum caractere, et potestate legatus mittatur. Ab his discernendae sunt *litterae instructoriae* (instructiones, mandata) in quibus mandati limites definiuntur, et agendi concludendique modus accuratius praescribitur; suntque vel *publicae* (manifestae) quae cum gente ad quam missus est legatus, communicari possunt; vel *arcae*, quas communicare non licet. — Hinc si legatus fines mandati, in literis credentialibus expressos, egrediatur, gentem mittentem non obligat, quia nemo magis ex facto alterius obligatur, nisi quatenus se obligare velle declaraverit. Aliud foret, si conventio secretae tantum instructioni repugnet, quia tunc fieret cum consensu imperantis in literis credentialibus declarato.

---

§. 32.

*Divisio Legatorum.*

E praemissis divisio legatorum in primi et secundi ordinis; ordinarios, et extraordinarios; plenipotentiarios, et formularios; intelligitur. Qui enim personam et dignitatem mittentis imperantis cum caractere speciali repraesentant, ii *legati primi ordinis*; qui autem cum generali tantum caractere mittuntur *legati se-*

*civili ordinis* audiunt. Porro ambo vel *ordinarii* sunt (s. d. assidui, perpetui) qui animo residendi apud gentem, veniunt, et rebus variis obvenientibus adhibentur; vel *extraordinarii* (temporanei) quibus vi mandati specialis unius potissimum negotii gestio committitur, e. g. gratulatio, vel celebratio nuptiarum. Denique vel plena cum potestate mittuntur, ita: ut plenam negotia tractandi et concludendi potestatem habeant, ideoque *Legati plenipotentiarum* dicuntur; vel sine illa, ideoque *formularii* appellantur, his enim tractare tantum licet, sed nihil concludere.

---

§. 33.

*Admissio Legatorum,*

Quaeritur: an gentes legatos admittere obligentur? — R. Admittere legatos obligantur gentes Imo *ex justitia* tunc, quando gens mittens jus perfectum habet mittendi legatum, uti e. g. ad bona naufragio amissa recuperanda, quia juri perfecto correlata est obligatio juris. —

2do *ex aequitate* autem tunc, quando gens mittens jus perfectum mittendi legatum non habet, et missio legationis est medium ad officia aequitatis tantum adimplenda e. g. ad officia humanitatis exhibenda; quia ubi nul-

lum jus veri nominis, ibi nec obligatio juris concipi potest; et qualis obligatio ad finem, talis ad media.

Hinc jure suo utitur gens, quae Legatos periculosos, vel honestis conditionibus subscibere nolentes aditu prohibet; vel legatos lubenter receptos, sed postea periculosos deprehensos territorio amovet; aut re peracta dimittit; qui enim hodie invaluerunt legati assidui, jure gentium positivo, et arbitrio gentium introducti sunt.

Si vero dubium sit, quo jure mittantur legati, tunc ex justitia naturali saltem in finibus territorii audiendi sunt.

---

§. 34.

*Commeatus.*

Legati ad tute obeundam legationem, commeatu instructi sint est necesse. *Commeatus*, sunt literae, quibus facultas legato datur, ut ad locum certum ire, et inde redire tuto possit.

Gentes quae ex justitia obligantur admittere legatos, hos commeatu quoque instruere tenentur, quia secus inutilis, aut elusoria esset eorum admissio. Aliae tamen gentes legatis liberum per suum territorium tran-

situm concedere non obligantur juridice, verum ad summum ethice, quia dominus territorii commorationem et transitum cuivis extraneo vi juris dominii denegare potest.

Dato commeatu gens plenam facultatem territorium ingrediendi concedit legato, acceptatis autem literis credentialibus, legatus jus gentem suam repraesentandi, omniaque ad legationem spectantia negotia obeundi, obtinet. Ast si legatus sine literis commeatus alterius gentis territorium ingreditur, jure utitur solummodo privati peregrini, et ideo si ab hoste veniat, tamquam hostis comprehendi potest; literis autem commeatus instructus, acceptatisque literis credentialibus fit persona publica, ideoque etiam ad hostem tuto ire, et redire potest, quia pacta etiam hostes servare debent; neque sufficiunt solae literae credentiales, quia conceduntur ab imperante legati, ergo alterius gentis subditos non obligant.

---

§. 35.

*Jura Legatorum.*

Legati ut repraesentantes gentis suae una etiam imperantis mittentis Vicarii sunt, quia Jus negotia cum exteris tractandi ad Jura

majestatica refertur; unde et eminentis illa inviolabilitas et sanctitas juridica Imperantis, ad illius Vicarium et repraesentantem necessario extenditur; et hinc mirum non est *sanctos* semper ac inviolabiles habitos esse legatos, quos ab injuria jus gentium tutos praestat, et vindicat.

E praemissis evidens est Legatos esse:

I.) *Sanctos* seu eminenter inviolabiles: quia neminem licet laedere, a fortiori talem non, qui mandatarius, ac repraesentans totius gentis, ejusque imperantis est, et cui gens in literis commeatus inviolabilitatem promisit. Unde omnis legato illata injuria, necessario in ipsam quoque Imperantis civilis majestatem reddundat, et tristissima relate ad securitatem civitatis externam post se trahit consecutaria; ad talem enim gentem, quae legatorum inviolabilitatem non agnoscit, nemo legatos mittet, nec ab ea missos acceptabit.

Hinc major est obligatio non violandi legatum respectu illius gentis, quae admisit legatum, quam per cujus territorium tantum transit. Caeterum sanctitas haec legatorum violatur Imo.) *dictis*, si injuria verbali adficiantur.

2do.) *Factis*, si injuria reali laedantur.

3tio.) *Neglectu*, si nimirum cum honore

aliis legatis exhiberi solito non recipiantur. a)

---

§. 36.

*Continuatio.*

II.) Legati gaudent: *Extraterritorialitate*, seu immunitate ab imperio et jurisdictione gentis tam civili, quam criminali, apud quam commorantur; quia gentes, et imperantes sunt inter se aequales, adeoque a se invicem independentes, jam autem legati representant gentes et imperantes; deinde legati ut personae publicae, quae cum extraneis in statu naturali vivunt, alienum territorium ingrediuntur, tales autem immunes sunt ab alterius jurisdictione. Denique ipsa natura legationis exigit hanc independentiam, cum sit medium necessarium ad legationem perfecte obeundam.

---

a) Sanctitas haec omnibus legatis veri nominis competit (qualicumque titulo aut caractere instructi sint) quia jure gentium naturali omnes legati ita sicut omnes civitates aequales sunt, neque diversitas denominationis in juribus essentialibus quidquam mutat.

Multi extraterritorialitatem legatorum ad actus publicos, et ad usum scopumve legationis restringendam esse docent, ceteros vero privatos legatorum actus jurisdictioni loci tam civili, quam criminali subjiciunt, *quia* ajunt: 1) *legati repraesentant imperantem tantum in negotiis legationis*, ergo in aliis actibus subsunt jurisdictioni; 2) *quia legati possunt munus suum obire quin sint immunes a jurisdictione quoad actus privatos!* —

Concedimus quidem necessariam non esse omnimodam immunitatem ad legationis essentiam, adeoque extraterritorialitatem tantum in negotiis publicis esse absolute necessariam: at si nulla facta sit exceptio, immunitas haec legato quoad actus privatos quoque attribuenda est, quia imperans, qui mittit legatum, ea conditione eum dimittere censetur, ut sit immunis a jurisdictione, ne nimirum impediatur legatio, ergo admittens recipiendo legatum, et nihil excipiendo, tacite consentire praesumitur in hanc immunitatem. Quod ipsum etiam gentium moribus comprobatum est. a)

- 
- a) Indemnitati huic quoad actus legatorum privatos gentes etiam renunciare possunt; hinc si non aliter admittatur legatus, quam ut jurisdictioni subjectus sit quoad actus privatos, atque in id consentiat gens mittens, tunc adest

## §. 37.

*Media Jus suum persequendi adversus Legatos.*

Ne tamen immunitate hac legati in perniciem Civitatis, in qua degunt abutantur, cuilibet genti legatum recipienti, competit jus ad omnia remedia, quibus aequalis contra aequalem jura sua persequi potest. Scilicet ob laesionem jam *illatam*, legatus dimitti, vel coram proprio imperante conveniri potest, qui si justitiam administrare recusaret, fieret ipse laedens. Si laesio *futura* a legato inferenda, justis ex causis metuatur, potest publica teneri custodia, et interrogationibus subjici, aequali enim contra aequalem competit jus securitatis. Si denique laesio sit *praesens*, et contra ipsam Civitatem directa, legatus deficientibus mediis lenioribus, qua injustus aggressor etiam occidi potest, non quidem per modum judicii, sed per modum necessariae defensionis.

Caeterum gentibus legatos recipientibus, etiam jus horum *revocationem urgendi* toties

---

in contrarium veritas, cui praesumptio cedere debet. Sic e. g. non gaudet extraterritorialitate legatus, si sit subditus loci in quo legationem obit, vel si consensu sui imperantis in alieno territorio munus quoddam suscipiat.

competit, quotiescunque hi potestate et characterem suo abutuntur, quia revocatio legatorum in tali casu est medium aptum removendi laesionem futuram, ad quod gentibus legatum recipientibus jus competere evictum est.

§. 38.

*Objecta ad quae Sanctitas et Extraterritorialitas Legatorum extenditur.*

Sanctitas et extraterritorialitas legatorum, ad *comites* quoque, *uxorem*, *liberos*, *scribas*, *famulos*, *cursores*, *veredarios*, tum ad vasa seu *suppellectilem*, prout et *aedes legati* quas inhabitat, atque *currus* (quibus vehitur) extenditur: quia haec omnia ad legationem pertinent, sunt enim accessoria legati ad manutenendam ejus dignitatem necessaria, consequenter ex legati persona jus participant. Deinde legati ideo sunt immunes a jurisdictione ne avocentur a suo officio, jam autem avocarentur, si eorum familia subesset jurisdictioni.

Hinc personae domestico legati imperio subjectae (uti liberi, famuli etc.) in causis

civilibus, aut minoribus criminalibus possunt a legato puniri, in gravioribus autem criminibus vel vincti mittuntur in patriam, vel iudici loci traduntur, ut ferat sententiam, aut latam exequatur, quia legato non competit jus gladii, sed nec ejus imperans illud in alieno territorio exercere potest. Si vero officiales ad legationem pertinentes delinquant, coram proprio conveniuntur imperante, quia isti (Secretarii, Scribae, Cancellistae legationis) non referuntur ad familiam legati, sed sunt officiales mittentis imperantis, et ideo legati jure censentur.

---

§. 39.

*Limites Extraterritorialitatis.*

Legati non sunt immunes a solutione Vectigalium, quia hoc non tollit aequalitatem, quae inter gentes obtinet, nam aequalis aequali non tenetur gratis usum rerum suarum (uti Viarum, pontium etc.) concedere. Hinc vectigalia etiam a legatis praestari debent, si exigantur; nam haec ipsa exactio ostendit, legatos non nisi sub hac conditione admitti.

Ex eadem ratione legatis nec *velitas*, nec *periculosas merces* introducere licet; quia se-

cus damnum inferrent genti, adeoque laederent; jam autem legati quoque obligantur ad abstinentiam a laesione.

Quod vero bona legatorum attinet: *mobilia* nec pignoris causa, neque ad solutionem debitorum detineri possunt, quia legati sunt immunes a jurisdictione territorii. Quod si autem aes alienum solvere renuant, ea remedia adhibentur, quae adversus debitores extra territorium existentes usurpari solent, adeoque legati coram proprio imperante conveniendi erunt. At a bonis *immobilibus* uti ab aedibus tributum solvere tenentur, quia talia juri territoriali subjecta manent. a)

§. 40.


*Cessatio Legationis.*

Finitur legatio 1mo.) *Impleto negotio*, et evoluto tempore, ad quod missus est legatus. 2do.) *Avocatione* legati, vel *dimissione*

- 
- a) Legati in suis aedibus religionem suam exercere possunt, sed delinquentibus illuc confugientibus perfugium concedere, vel asyllum aperire vetantur; quia secus se alieno immiscerent regimini. Unde delinquentes ad palatia legatorum confugientes, salva horum sanctitate et independentia extrahi possunt.

ejus; quia mandatarius solum cum consensu mandantis, et ejus quocum agendum habet, de negotiis tractare potest. 3tio.) *Morte legati*, quia mortuus nec juris, nec obligationis capax est; aedes tamen, archivum, et reliqua legationem respicientia, usque eorum resignationem plena gaudent immunitate ac inviolabilitate. 4to.) *Morte alterutrius imperantis*, quia incertum est, an successores velint eundem esse legatum; atque ideo in hoc casu legatio novis litteris credentialibus instaurari debet.

Caeterum privilegia legatorum non ante expirant, quam dum in patriam sunt reversi; neque cessant jura legatorum, si bellum inter utramque Civitatem citius oriatur, quam legati discesserint: quia securus reditus litteris commeatus concessus est, jam autem fides data, etiam hosti servanda est. —



## CAPUT VII.

### DE MEDIIS QUIBUS GENTES JUS SUUM PERSEQUI POSSUNT.

---

#### SECTIO I.

#### Jus Belli in genere.

---

#### §. 41.

#### *Belli notio.*

Genti laesae adversus laedentem e principiis Juris competit *jus tuendi ac persequendi jura sua* omnibus mediis in hunc finem aptis, ac necessariis. Media autem quibus tutela jurium postulatis rationis conformiter intenditur, alia sunt: *non coactiva*, alia *coactiva* seu violenta. Ad posteriorem classem pertinet: Jus belli. a)

---

a) De Jure persequendi naturali, et in specie *de jure belli* praecipue memorari meretur opus Ant. Wirozsil sub Titulo: „Jus naturae privatum „methodo critica deductum“ Anno 1833tio typis vulgatum, in quo (Tomo III.) celeberrimus auctor, una de *Jure belli* mira eruditione agit.

Per *bellum* generatim intelligitur status perdurantis et mutuae hostilitatis inter duas vel plures gentes obveniens; *hostilitas* vero est animus efficax sibi mala inferendi, per vim quamcunque indefinitam. Cui hic animus est, *hostis* appellatur; omnis autem actus violentiae hoc animo patratu, *actus hostilitatis*; ipsa demum facultas moralis, juris sui persequendi causa, deficientibus mediis lenioribus, hostili animo vim vi opponendi, *Jus belli* audit.

Ex hac definitione patet:

1.) Naturam et essentiam belli non in reali *violentiae actu* consistere, sed in *hostili statu* i. e. solo etiam vis inferendae efficaci proposito, repositam esse.

2.) In omni bello supponi *animum hostilem efficacem* ad vim alteri inferendam comparatum; ut hostilitas ab inimicitia, comminatione etc. distinguatur.

3.) Hostilitatem bellicam esse *perdurantem*, ad actus violentiae etiam longiori tempore iterandos porrectam; adeoque a quavis *rixa*, aut *certamine* obvio prorsus distinctam.

4.) In bello *hostilitatem esse mutuam* i. e. talem, ubi alteri vim molienti, alter pariter violente resistit, seu vim vi repellere conatur.

5.) Vim in bello exercendam non posse praevie determinari, quia *jus belli est jus indefinitum* (§. 44.) pro re nata ad omnis gene-

ris violentiam porrectum; per consequens a *repressaliis*, *retorsione*, aliisque violentiae determinatae speciebus diversum.

6.) Bellum veri nominis nonnisi inter gentes earumque imperantes obvenire; ideoque a *duello*, *rebellione* ac *seditione* admodum diversum esse.

---

§. 42.

*Belli Species.*

Bellum jure gentium naturali dividitur:

1.) Ratione fundamenti: in *justum*, et *injustum*; prout ratio recta fundamentum quod bello causam praebet, probat, vel reprobat. (§. 43.)

2.) Ratione causae efficientis: in *principale* (seu proprium) quod sui ipsius, et *auxiliare* (seu socium) quod aliorum causa geritur.

3.) Ratione modi quo geritur, in *offensivum*, quod ab aggressore h. e. illo qui primos actus hostilitatis ponit; et in *defensivum*, quod a defensore h. e. ab illo qui iis resistit, geritur. a)

---

a) Nonnulli per *bellum defensivum* illud intelligunt, quod geritur a laeso, et per *offensivum* illud, quod suscipitur a laedente; ast minus recte, quia sic omne bellum defensivum esset justum, omne offensivum autem injustum, quod

4.) Ratione motivi: in *necessarium*, quod urgente necessitate in casu quodam collisionis officiorum; et in *voluntarium*, quod extra casum necessitatis proprio motu et arbitrio gerendum suscipitur.

5.) Ratione finis, in *bellum praeventionis*, quod ad imminentem laesionem avertendam tendit; *defensionis*, quod ad laesionem praesentem repellendam, et *indemnitate* (seu reparativum) quod ad laesionem praeteritam reparandam geritur.

Sunt, qui praeter adlatas belli species *bellum punitivum* statuunt; quale tamen inter aequales admitti haud posse non immerito nobis videtur cum Heineccio (Praelectionum academ. L. II. Cap. XVI. §. II.) „quia gens „gente non est superior, poena autem semper a superiore infligenda“ b). — Juri gen-

---

sustineri nequit, uti bene observat Heineccius (Praelect. acad. Lib. II. Cap. XVI. §. II.) „Itaque (inquit) facile deciditur quaestio, an „omne bellum defensivum sit justum? negatur, „quemadmodum nec omne offensivum injustum „est; culpa non redit in auctorem pugnae, sed „in eum, qui alteri fecit injuriam, sive aggressus sit, sive non.“

b) Ratione personarum belligerantium bellum adhuc dividi solet in *privatum* quod inter privatas personas (sui juris i. e. ab omni superiori

tium porro repugnat *bellum invasionis*, vel occupationis quia tale bellum contra ipsum jus personalitatis gentis aggressae dirigitur.

---

§ 43.

*Belli justitia, et causae.*

Bellum ut species juris cogendi eatenus solummodo justum dici potest, quatenus adversus gentem laedentem dirigitur, et ad jura tuenda ac persequenda medium necessarium est. Cumque exercitium violentiae non ante ut medium necessarium per rationem agnoscatur, quam alia leniora declinandae laesionis media tentata fuerint, consequens est: duo *ad justitiam belli* essentialiter requiri:

1.) *Ut adsit laesio certa* (praesens, vel praeterita, vel imminens) nullis mediis lenioribus declinabilis.

---

potestate independentes) et *publicum* quod inter gentes geritur; atque hoc est *sensu proprio bellum*; nam in societate civili Jus belli non ad singulos cives pertinet, sed ad supremam potestatem. Reliqui vero qui arma arripiunt, nisi necessaria substit defensio, vel *rebelles* vel *latrones* nominantur.

2) *Ut ad tuenda ac servanda jura, tamquam finem tendat.* a)

E praemissis sequentia circa *justitiam belli* intelliguntur: 1.) Bellum jure gentium injustum est *rationae materiae* si illud absque legali fundamento (i. e. nulla laesione certa et indeclinabili praecedente, vel imminente) suscipiatur; *ratione formae* autem, si non propter tutelam jurium, sed ob aliud motivum, ac finem secundarium geratur; hinc

2.) Injustum est bellum, quod unice e *rationibus* sic dictis *svasoriis* nulla laesione juris seu praecedente, seu imminente geritur; uti e. g. ob violationem officiorum ethicorum, aut metum crescentis potentiae vicinae gentis, aut utilitatis solum et commodi causa. b)

---

a) Hinc bellum ceu species juris violentiae durissima, ratione *causae* et ratione *finis* justum sit est necesse. Justa belli causa in *laesione* (praesenti, futura, vel praeterita) tamquam fundamento; justus vero belli *finis* in remotione vel sublacione laesionis i. e. in *tutela jurium* reperitur.

b) *Violatio officiorum ethicorum* (uti idololatria, superstitio) non est justa belli causa; quia actiones impiae et inhonestae ab actionibus injustis, sive laesionibus discrepant. — Sic et *metus ex viciniae gentis continuo crescente potentia* injusta belli causa est, nisi potentia illa injuste

3.) Injustum est bellum quod ab aggressore nulla laesione praecedente alteri inferitur; quale est e. g. *bellum invasionis*, *occupationis* etc.

4.) Ratione materiae objective spectando: *idem bellum ex utraque parte justum esse nequit*, quia jus belli competit unice in laedentem, laedenti igitur hoc in casu resistere non licet. c) Potest tamen bellum *ex utraque parte esse injustum*, quatenus in causa dubia, neglectis mediis lenioribus ad bellum provolant. d)

---

quaesita fuisset; — atque hoc ipsum tenendum de bello *ex utilitate* (jure destituta) suscepto, nam *ratio status*, s. d. *convenientia* (utilitas ex bello sperata) tunc tantum valet, si quaeratur: num bellum per se justum, etiam cum utilitate suscipi possit? — hinc *rationes svasoriae* a belligerantibus communiter pallio justitiae velari, et occultari solent, ideoque merito *praetextus belli* audiunt.

c) „Ex utraque parte justum bellum (ratione formae) eatenus non repugnat, quatenus per gentes laesionem putativam bona fide persequentes „intra juris ac fidei modum geritur.“ (*Wirosz.*)

d) Bellum justum, adhuc *iniquum* esse potest, si justa quidem de causa, et justo fine, sed citra aequitatis ac humanitatis principia suscipitur.

---

*Juris belli limites.*

Jus belli (ut juris violentiae species durissima) certis quibusdam limitibus circumscriptum est, adeo ut quaecunque ad finem belli ut media necessaria dignoscuntur, jure belli justa ac licita, contra vero, quaecunque justum juris violentiae fundamentum excedunt, aut ad persecutionem jurium necessaria non sunt, injusta reputanda sint. Cum autem actus violentiae gradu et specie inter se differant, et decisio quaestionis: quinam actus violentiae in specie dato in casu ad finem suum necessarii sint? e circumstantiis dati casus in concreto tantum solvi possit: consequens est, *jus belli esse jus indefinitum* i. e. tale cujus limites in abstracto determinari nequeunt, verum ex adjunctis tantum in dato casu individuali obviis determinari potest, ad quantam violentiam genti laesae jure belli procedere liceat? — Sic maxima laesio saepe minima violentia declinatur, aut reparatur, saepe vero ad exiguam injuriam avertendam aut reparandam vix gravissima vis sufficit. Unde evidens est: *mensuram belli nec a quantitate aut qualitate laesionis, neque a magnitudine juris periclitantis vel mali*

*imminentis, sed quam maxime e relatione mediorum ad finem petendam esse. Quapropter jus belli merito jus indefinitum nuncupari potest. a)*

---

## SECTIO II.

### Media bellum declinandi leniora.

---

§. 45.

*Media lites componendi.*

Cum justa belli causa sit unice *laesio certa, et aliter indeclinabilis*, vis autem extrema belli eousque necessaria dici nequeat, quoad alia leniora jus suum persequendi media praesto sunt: consequens est cuivis genti, quae jus suum per aliam gentem laesum

- 
- a) Errant igitur qui jus belli *indefinitum* appellant, illudque in infinitum porrigi statuunt, quasi genti laesae in laedentem omnia prorsus sine fine licerent; quia jus belli in necessitate mediorum ad finem naturales suos habet limites: „*potius enim (ut ait Heineccius) bellum debet geri propter pacem, alius homo brutis ipsis esset deterior.*“

esse quaeritur, non licere illico jus suum vi armata persequi, nisi antea *media leniora* (ad litem finiendam vel componendam, bellumque declinandum apta) pertentata fuerint.

a) Hinc si in casu *juris dubii* neutra gentium litigantium jus suum sufficienter probare possit, neutri jus violentiae et belli per se competit, ut extorquere alteri invitae possit, quod praetendit, nam *ubi nullum certum jus ibi nulla certa injuria, nulla laesio, ac proin nec justa causa violentiae adest*. Quare lis de jure dubio decidi nescia, nonnisi mutuo litigantium consensu terminari, seu componi potest. b) Hunc in finem sequentia litis componendae mediae deserviunt:

---

a) „Quum non ex quacunque laesione, sed ex „ea demum, quae aliter declinari nequit, jus „belli efflorescat, cavebit profecto arma impe- „rare populus quamdiu praesidium aliud, quo „se tueatur, inventurus est. Hinc si de jure „dubio sit quaestio, et neuter litigantium ido- „nea fungi probatione possit, illas inire leni- „ores vias oportebit, quas naturae leges sin- „gulis hominibus nullius jurisdictioni subjectis „praescribunt.“ sunt verba Caroli Ant. de Martini Posit. de Lege Nat. DCCIX.

b) Nam „omnia prius experiri, quam armis sapientem decet“ ait Terentius, et Rex Theodoricus: „Tunc utile solum est ad arma concurrere, cum locum apud adversarios justitia non „potest invenire.“

1.) *Amica litis exaequatio* (s. litis compositio gratuita) i. e. tale pactum quo pars alterutra litigantium praetensioni suae in favorem alterius gratuito et ex integro cedit.

2.) *Transactio* (seu litis compositio onerosa) i. e. pactum, quo litigantes promisso aliquo, aut dato vel retento, litem suam exaequant.

His nihil proficientibus tentandum est: *Compromissum*, vel *Sors* honesta; c) denique ad litem componendam efficaciter cooperantur: *Congressus*, *tractatus*, *mediatio*, *inteventio* etc.

---

c) *Compromissum* statui naturali gentium maxime convenit, utpote in quo *communis iudex* partium litigantium his invitis, nullus datur. — *Sortis* usum autem in causis dubiis jam vetustissimis temporibus notum fuisse, Sacra Scriptura quoque perhibet. Ad sortes tamen licitas referri nequit *certamen singulare* inter singulos, binos, ternos, pluresque conductum ea lege, ut cuius gentis athletae illa pugna vicissent, huic alter populus rem litigiosam praestare teneatur, quia hoc est duellum, quod ad rem dubiam decidendam ineptum est medium. Nisi gentis alicujus res jam foret desperata, hostisque talem optionem permetteret, quia tunc non esset duellum, sed medium certam cladem incerto paucorum periculo redimendi.

---

*Postulatio reparandae laesionis,  
Retorsio.*

Inter media bellum declinandi leniora adhuc referuntur illa, quae *Via facti* ad violentiam bellicam propius quidem accedunt, minime tamen ex hostili animo, sed e praevertendae majoris violentiae bellicae studio proficiscuntur. Taliæ sunt :

1.) *Seria postulatio reparandae laesionis*; qua gens laesa laedenti injuriam sibi illatam indicat, ejusque cessationem ac reparationem serio postulat, unaque declarat, se in casu denegatae satisfactionis jura sua violentia mediante persecuturam. Medium hoc necessarium est priusquam ad duriora jure procedere liceat, quia intentato hocce leniori medio sciri nequit an laesio certa aliter quam bello indeclinabilis adsit? a) Si tamen seria postulatio optato careret effectu, genti laesae suppetet :

---

a) *Seria postulatio reparandae laesionis actuali violentiae exercitio praemissa*, tacitam quoque belli denunciationem natura suapte involvit, adeo, ut negata satisfactione e parte Gentis laedentis, nulla ulterior diserta *belli vel hostilitatis indictio* Jure gentium naturali necessaria sit.

2.) *Retorsio juris* (iniqui). *Retorquere jus* dicitur gens, quae eodem jure praetenso erga aliam utitur, quo haec erga illam usa est. Actus retorsionis ita debent esse comparati, ut ad obtinendam satisfactionem, et ad laesi juris expletionem valeant, quia se-  
cus vindictam saperent. Ita gens cui e. g. officia aequitatis, benevolentiae, caritatis per aliam denegantur; vel cujus cives a nuptiis nundinis excluduntur, idem cum extraneis observare potest, ac proin *iniquitatem simili iniquitate referendi* jus habet. Sed legatos vel obsides alienos occidere nefas foret, etsi aliae gentes hoc fecissent, quia hujusmodi factum malo, quod jam illatum est avertendo, aut reparando non est idoneum.

---

§. 47.

*Repressaliae.*

Ad media jura gentium leniori modo ac extrema violentia bellica, tuendi ac perse-  
quendi, pertinet adhuc durior retorsionis spe-  
cies, nempe: *Repressaliae* a reprimendo, vel repressando sic dictae.

*Repressaliae sensu lato* denotant quosvis actus violentos ad reprimendam injustam al-  
terius gentis violentiam directos. — *Sensu*

*stricto* vero per Repressalias determinati actus violentiae intelliguntur, quos gens laesa in *personas* vel *res* laedentis (gentis) eo fine exercet, ut his instar pignoris detentis, gens laedens absque ulteriori violentia ad laesionem reparandum permoveatur; et hoc in casu repressaliae in specie: *pignorationes violentae* appellantur; et quidem si pignoratio personarum fiat, *androlepsia*, si rerum *repressaliae sensu strictissimo* vocantur. a)

Pignorationes hae nihil aliud sunt quam species juris belli jam in effectum deduci incipientis, ipso tamen bello leniores, per consequens jure gentium naturali licite exercentur. Tunc autem potissimum locum habent, quando suprema gentis tribunalia legitime requisita, justitiam administrare denegant. Si vero Subditi gentis unius sine causa in al-

---

a) Tam *androlepsia* quam *repressaliae sensu strictiori* deficientibus mediis lenioribus, juste usurpantur, quia gens ut una persona moralis (corpus morale) consideratur, in quo cives singuli veluti totidem membra, eorum vero bona tamquam partes in toto gentis patrimonio continentur. Quare bona per repressalias capta *jure rerum oppignoratarum*, personae vero per *androlepsiam* comprehensae *jure obsidum* censentur. Hinc civibus per repressalias laesis, indemnitas a propria gente debetur, quia laesionem recarcire tenetur is, qui ejus auctor est.

terius territorio detineantur, juste adhibetur androlepsia. b)

—  
§. 48.

*Media Jus laesum persequendi in-  
justa.*

Ad media bellum declinandi leniora nonnulli perperam referunt Vindictam, Talionem, et perfidiam, quae tamen jure gentium naturali rejiciuntur. In specie:

1.) *Vindicta* seu ultio inter modos jura sua persequendi legitimos referri nequit; cum enim in Vindicta malum alteri ideo unice inferatur, quia ab illo illatum est, aut quia afflictio ejus ulciscenti voluptati est; hoc ipso omni fundamento juris destituitur, quia non tendit ad tuenda ac servanda jura tamquam finem. Insuper est medium *ineptum*, quia nec laesionem illatam reparat, nec adversus futuras laesiones securitatem proebet, per consequens medium ad finem non necessarium, imo periculi plenum est.

---

b) *Jure repressaliarum* nonnisi Imperantes gaudent, quia est species juris cogendi, quod in Civitate est majestaticum. Hinc subditi illud tantum auctoritate imperantis, literis quas vocant *marcae* obtentis exercere possunt.

2.) *Talio* (s. actus quo laesio laedenti pari quoad quantitatem et qualitatem malo refertur) ut medium bellum declinandi lenius admitti non potest; cum enim gens laesa ideo, quod laedentem pari malo afficiat, pristino juri suo haud restituatur, est eoipso medium ineptum, non necessarium, et omni juris fundamento destitutum.

3.) *Perfidia* (seu omnis fraudis, doli, violentiae per modum stratagematis bellici adhibitae species) ut medium litis finiendae, e principiis rationis admitti nequit. Cum enim simili perfidia omne inter gentes fidei ac mutuae fiduciae vinculum rumpi, et lites quasvis in *bella internecina* degenerare necesse foret: ratio recta perfidiam ut sociali gentium coexistentiae e diametro adversam, rejicit ac reprobatur adeo, ut ea ne per modum retorsionis quidem erga hostem perfidum uti liceat. a)

---

a) „Fide enim non tantum respublica quaelibet  
 „continetur (ait Cicero) sed et major illa gen-  
 „tium societas: hac sublata (ut observat Aristo-  
 „teles) tollitur quod inter homines est commer-  
 cium.“

---

### SECTIO III.

#### Jura Belli in specie.

##### §. 49.

##### *Juris Belli principium.*

Deficientibus quibusvis mediis lenioribus, ubi genti laesae nullum amplius ad tuenda jura sua praesidium superest aliud, quam vim injustam vi repellere, licitum ei erit ad extremam coactionis speciem, *violentiam* nempe *bellicam* recurrere.

Juris hujus limites generali hoc principio definiuntur: *Jure belli omnis vis adversus hostem injustum justa censetur ac legitima, quae pro ratione adjunctorum ad jura gentis laesae tuenda ac servanda necessaria sit.* Unde patet: omnem violentiam bellicam quae ultra hunc finem protenditur, fundamento juris destitui, et in *crudelitatem bellicam* jure externo quoque vetitam degenerare. Cum enim Jus belli pro fine habeat remotionem laesionis sive praeteritae, sive inchoatae, sive imminens, hoc ipso omnes actus violentiae ultra hos fines protensi, in vindictam et laesionem abeunt, per consequens jure gentium naturali rejiciuntur. (§. 44.)

Ante quam tamen ad apertas hostilitates procedatur, et bellum offensivum suscipiatur, clarigatio aut belli indictio praemitenda est; nam bellum offensivum justum esse nequit, nisi *clarigatione* h. e. rerum vel cujuscunque juris clara voce facta repetitione; aut *indictione* praemissa geratur. Quia ad justitiam belli requiritur laesio certa, et aliter quam bello indeclinabilis, quod ante clarigationem aut indictionem belli sciri non potest. a)

§. 50.

*Belli indictio et publicatio.*

*Belli indictio* est expressa declaratio voluntatis jus suum vi armata perseguendi. Haec communiter sequitur clarigationem, quia continet minas. Interim facta clarigatione necessario non requiritur, quia in omni clarigatione una tacita belli indictio continetur. Caeterum inter Clarigationem et ipsum belli initium tantum temporis spatium interce-

a) Hinc etiam bellum quod solenniter indictum et denunciatum est *solemne*, secus autem *minus solemne* audit.

dere debet, quantum requiritur, ut satisfactio offerri possit, secus inutilis imo elusoria esset clarigatio. Sed etiam facta clarigatione necessaria est belli indictio, si spes sit fore: ut gens laedens ad jus tribuendum impellatur, aut si belli indictio fuerit promissa, quia pacta servanda sunt. a)

A belli indictione probe distinguenda est ejusdem *publicatio*, illa enim fit ab aggressore, et dirigitur ad gentem cum qua armata manu congredi cogitat. At belli publicatio fit ab utraque gente belligerante tam propriis subditis (ut cognoscant quid sibi durante bello in personas et res hostiles agendum, quid omittendum sit) quam etiam aliis gentibus, ut nimirum perspiciant justitiam belli, indeque sumant argumentum assistendi, vel saltem hostibus nulla praestandi auxilia. Hunc in finem prodeunt etiam *antimanifesta*, seu refutationes manifestorum.

Publicationi denique adnecti solent etiam *litterae evocatoriae*, quibus praecipitur subdi-

---

a) *Modi bellum indicendi* ab arbitrio gentium dependent. Olim per legatos et praecones, apud Persas (teste Herodoto) per postulationem terrae et aquae, apud Romanos vero indictio belli fiebat per *faeciales*. Hodie bella denunciantur per *manifesta*, seu libellos publicos, in quibus rationes justificae suscepti belli exponuntur.

tis, ut ex territorio hostis redeant; vel *dehortatoriae* quibus praestatio omnis generis operarum genti inimicae facienda prohibetur; vel denique *inhibitoriae* quibus omnis generis commercium, cum hoste institui vetatur.

§. 51.

*Jura belli ratione personarum hostilium.*

Violentia bellica in hostem injustum directa, ferit tam *personas*, quam res hostiles. a)

*Ratione personarum* hostis injusti, genti laesae competit jus:

1.) *Personas* (i. e. 'subditos gentis laeden-

---

a) „Porrigitur autem vis bellica cum in personas, „tum in res hostiles, hoc est tam in omnes et „singulos Civitatis, cum qua bellum geritur „subditos — — quam in totum patrimonium — — — quo etiam res incorporales (jura) quaeque „hosti a tertio debita sunt, continentur.“ Cf. „C. A. de Martini Pos. J. N. DCCLIV. — item „Igitur recte capiuntur non milites modo — — — „sed etiam alii veluti viri dignitate conspicui, „illustres faeminae ac virgines, ut hostis ita ad „eos redimendos, et pacem amplectendam compellatur“ idem Pos. DCCXLVII.

tis, cum qua bellum geritur) invadendi, capiendi, ac obsidum instar usque secutam laesi juris reparationem in custodia detinendi. Si vero reparationem hanc gens laedens praestare renueret, jus erit laesae:

2.) Personas in custodia detentas ad operas quoque personales physice ac moraliter possibiles adhibendi; porro

3.) Resistentibus, aut vim graviorem molientibus licitum est majorem adhuc vim inferre, personas hostiles aggrediendo, fugando, perseguendo, iisque nocendi potentiam adimendo.

4.) In urgentis impetus casibus fas est jura sua etiam graviori violentia, uti vulneratione, cruentatione imo nece quoque injustorum aggressorum tuendi.

Contra ad *crudelitatem bellicam* non vero ad persecutionem juris sui legitimam refertur: si gens laesa majorem violentiam exerceat, quam apta et necessaria sit ad tutelam jurium suorum; uti saeviendo in *inermes, captos, arma deponentes, vulneratos, resistere non valentes, senes, infantes, facinas, religionis ministros*, qui ab omni vi abstant, nec ullum produnt nocendi animum. b) Sed

---

b) Falsum igitur est, vitam bello capti, cui omnis jam nocendi potentia adempta est, in vi-

etiam peregrinis in solo hostili deprehensis parcendum est, quia non sunt hostes. Immo etiam personas hostiles in territorio alieno pacato deprehensas violare non licet, quia secus violaretur jus territoriale gentis pacatae.

Caeterum multa indirecte et extra gentis jus suum bello persequentis propositum eveniunt, ad quae per se nullum competeret jus. Ita naves, aedificia, urbes petuntur tormentis, etsi hac ratione et personae inermes in vitae discrimen conjiciantur. His igitur mala non tam inferuntur a gente jus suum laesum persequente, quam a gente propria, quae sine jure resistit.

---

ctoris stare arbitrio; nam jus belli natura sua non est infinitum, igitur *nec hosti in hostem omnia licent*. (Vid. §. 44. et 49.) — Hinc recte Camillus (Livii Hist. V. 27.) ait: „sunt belli „etiam sicut pacis jura; justeque non minus „quam fortiter bella gerere didicimus. Arma „habemus non adversum eam aetatem, cui eti- „am captis urbibus parcitur, sed adversus ho- „stes armatos, a quibus injuste lacessiti fui- „mus.“

---

§. 52.

*Jura belli ratione rerum hostis in-  
justi.*

*Ratione rerum hostis injusti, genti laesae in specie competit jus:*

1.) Res hosti injusto debitas brevi manu retinendi, promissas negandi, aut praestationem ad tempus differendi.

2.) Res hostis injusti mobiles vel immobiles, corporales vel incorporales in potestatem suam redigendi, vel *occupandi*, ita apprehensas, *pignoris instar detinendi*, aut sibi earum usu *indemnitatem praestandi*.

3.) Si gens laedens omnibus his mediis ad transactionem cum hoste justo ineundam, vel ad laesionem reparandam induci nequiret, vimque nefors adhuc graviolem opponeret, genti laesae licitum erit, *extremam quoque in res laedentis violentiam exercere*, hasque destruere, delere, ferro et igne perdere, ut sic adversario injusto potentia nocendi adimi, et sufficiens securitas obtineri queat.

Ast nefas est Jure gentium naturali, ideoque ad crudelitatem bellicam refertur quaevis violentiae bellicae species, in res hostiles directa, quae ultra modum ac finem belli justi protenditur; uti est quaevis depraeditio rerum promiscua, et devastatio rerum hostilium sine necessitate facta. Hinc:

A.) Injusta est quaevis occupatio rerum hostilium animo eas sibi ut suas ac proprias habendi, non autem indemnitatis aut satisfactionis ex iis obtinendae causa facta.

B.) Injusta et ad crudelitatem bellicam referenda est quaevis *saevities in res hostiles innocuas*, religioni, artibus, aut scientiis unice dicatas, uti in templa, mausolea, musaea, Bibliothecas, monumenta publica, et in opera artistica directa; cum enim res hae parum aut nihil ad finem belli conferant, earum vastatio, et destructio superfluum barbaramque animi ferociam redolet. —

---

§. 53.

*S t r a t a g e m a.*

Actus hostilitatis a belligerantibus non solum aperte, sed etiam occulte per stratagemata exerceri possunt.

*Stratagemata* est simulatio, aut dissimulatio ad hostem circumveniendum adhibita. e. g. metum aut fugam simulare, milites transvestire, vel *exploratores* (h. e. personas quae apud hostem clam degant, ejusque consilia, vires et statum prodant) mittere. — Stratagemata sunt licita, quia Imo.) sunt lenius medium (utpote in arte et ingenio consisten-

tes) quam vis aperta bellica; — 2do.) quia saepe sunt necessaria ob virium inaequalitatem. 3tio). quia hosti injusto aperte nocere licet, ergo et stratagematibus. 4to.) quia ita parcitur multo sanguini, et finis belli facilis obtinetur. a)

Cavendum tamen ne stratagemata in se sint injusta. Sic e. g. non licet veneno arma vel aquas, et fontes corrumpere, quia usus veneni majora infert mala, quam finis belli exigat, multi enim inermes quoque interficiuntur. Illicitum quoque erit, hostiles subditos ad prodicionem sollicitare, etsi operam ab iis sponte oblatam acceptare non semper repugnet; sed nec impuras feminas ad inficiendum hostilem exercitum submittere licet, quia jus belli ad media per se turpia et incongrua extendi nequit. Denique non licet *percussores* immittere, id est tales, qui fugam, subjectionem, amicitiam simulant, ut ex insidiis, et dolo imperantem vel belliciducem exercitus hostilis interficiant; quia immissio percussorum est medium et utenti

---

a) Recte igitur Agesilaus apud Plutarchum, in ejus vita ait: „fidem in foedere fallere nihil „aliud est, quam Deos contemnere, *hostium* „vero *circumventio* non modo, cum justitia, sed „et cum magna laude et jucundo conjuncta est „compendio.“ —

maxime periculosum, et generatim ad finem belli obtinendum minime idoneum.

§. 54.

*Occupatio bellica.*

*Postliminium.*

Ad modos satisfactionem et indemnitatem genti laesae debitam obtinendi, pertinet etiam *occupatio bellica*, seu quaevis actio, qua res hostiles in bello capiuntur cum proposito sufficienter declarato, eas sibi (indemnitas aut satisfactionis ex iisdem obtinendae causa) ut suas et proprias habendi. Si milites res mobiles hosti eripiant *praedam agere*, si immobiles, *expugnationem facere* dicuntur. a)

- 
- a) Cum in bello agatur de persecutione iurium totius gentis, hocipso bona per praedam aut expugnationem a militibus occupata, genti jura sua persequenti, minime vero his cedere, per se patet, „quia (ut ait Heineccius) ejus auspiciis et sumptibus geritur bellum, et milites „tantum ministerium praestant reipublicae, quid „quid vero aliorum ministerio et operis acquiritur, id nobis acquiritur. Concedi tamen militibus potest praeda ad acuendam fortitudinem.“

*Occupatio bellica pro naturali acquirendi domini modo haberi non potest*: quia genti laesae per eam patrimonium suum non licet augere, sed solummodo in pristinum statum restituere, occupatio enim bellica natura sua solum vicem satisfactionis laeso debitae obit, jam autem haec ultra, quam laesio illata, extendi nequit. Unde patet: quamvis occupationem bellicam, natura sua jus solum provisorium occupanti tribuere, eoque validum donec transactione laesum inter ac laedentem intercedente, turbatum aequilibrium juridicum restabiliatur.

E quibus evidens est: personas ac res ab hoste ablatas gaudere *jure postliminii*, vi cuius pristinum recuperant statum, si in potestatem suae gentis redeant. Hinc personae ex captivitate bellica reversae, recuperant omnia jura prius habita, res autem prioribus dominis restitui debent; quia *Postliminium* est restitutio (rerum ac personarum ab hoste captarum) in pristinum statum.

*Auxilium bellicum.*

Ad jura belli justii pertinet etiam *implicatio et praestatio auxilii* in bello justio. Qui auxilium fert alteri, seu juvat alterutram gentem belligerantem in bello persequendo, *auxiliator* hostis, vel *socius belli* appellatur, ipsum autem auxilium, quod hosti qua tali fertur, *auxilium bellicum* audit.

Auxilium bellicum in bello justio ab aliis *implorare*, vel periclitantibus *praestare* jure gentium unicuique genti liberum ac licitum est: primum ideo, quia jus belli tamquam jus ad finem, sub se continet etiam jus ad media, quale et auxilium bellicum est: secundum autem ideo, quia vi libertatis naturalis cuique genti competit jus aliis gentibus, jura sua persequentibus pro viribus opitulandi, ita tamen, ne auxilium invitae ac nolentibus per vim quodammodo obtrudatur.

Contra in bello injusto auxilium bellicum nec implorare, nec praestare licet, quia injustos aliarum gentium fines promovere, et causae injustae patrocinari, jure gentium naturali vetitum est.

E praemissis evidens est: omnia quae hactenus de hoste tradita sunt, ad auxiliatores quoque applicari posse, quia sunt socii belli, et fiunt participes belli. Hinc:

1.) Quaecunque licita sunt in hostem, injustum, ea in ejus socios quoque licita censentur, quia adjuvant hostem, ergo etiam sunt hostes.

2.) Bellum uni genti indictum, omnibus etiam ejus sociis indictum censetur.

3.) Res occupatione bellica acquisitae dividendae erunt pro rata cum sociis belli, quia belli socii viribus suis concurrunt ad bellum gerendum; nisi ad evitandas lites aliter conventum sit.

Caeterum auxilia bellica in bello justo praestare licet, etsi nullum foedus praecesserit, quia injuria oppressos defendere justum, honestumque est:

---

§. 56.

*Jus Neutralitatis.*

Cum ad auxilia alteri genti ferenda (dempto casu pacti praecedentis) nemo perfecte obligetur, consequens est: cuilibet genti vi libertatis et independentiae naturalis competere *jus neutralitatis*.

*Neutralis* (*pacata*, vel *in bello media*) dicitur gens, quae exorto inter duas gentes bello, neutras belligerantium partes sequitur,

sed procul ab omni partium studio, medium quasi inter utramque partem locum tenet. Ipse hic status, vi cujus gens bello alieno se non immiscet *neutralitas*, facultas autem statum hunc inter belligerantes tenendi, jus *neutralitatis* audit.

Jus hoc cuilibet genti vi libertatis naturalis salvum esse debet, nec ab alterutra belligerantium parte cogi potest, ut neutralitate relicta, alterutrius (belligerantis) partes sequatur. Genti tamen neutrali perfecta incumbit obligatio procul ab omni partium studio, aequalem quoad belligerantes agendi rationem observandi; quia secus recederet a neutralitate. Hinc gens neutralis obligatur abstinere a favore, et studio partium, et si uni parti quid permittit uti e. g. annonae coemptionem, vel transitum militum, idem etiam alteri permittere debet, secus non esset a studio partium aliena.

Caeterum gens neutralis non tenetur admittere, ut in suo territorio hostis unus res alterius capiat, aut personas persequatur, quia his actionibus violaretur jus territoriale gentis neutralis, jam autem regionis suae violationem admittere non obligatur. Quodsi vero gens neutralis alterutri belligerantium arma, aliaque belli gerendi media adveheret, ejus res sine injuria possent intercipi,

quia ob favorem uni parti praestitum fieret hostis.

Denique gentes neutrales cum belligerantibus salva neutralitate commercium rerum, quae in bello nullum usum habent, exercere possunt, non tamen talium mercium, quae respectu finis belli non sunt indifferentes, et in bello usum habent, uti arma, neque taliam, quae et in pace, et in bello usui inserviunt, uti pecuniae, commectatus, etc. —

## C A P U T V I I I .

### DE CONVENTIS BELLICIS, ET PACTO PACIS.

§. 57.

*Conventorum bellicorum notio, et divisio.*

*Conventa bellica* sunt pacta, quae durante bello inter belligerantes de negotiis bellum concernentibus ineuntur. Conventorum horum species pro diversitate objecti in iis intercedentis variae sunt; vel enim suspendunt actus bellicos et *induciae*; vel finem bello imponunt et *pactiones pacis*; vel denique nec finiunt nec suspendunt actus bellicos, sed alias praestationes pro objecto habent, ideoque *Conventiones bellicae* in specie audiunt. a)

- 
- a) Ad conventiones bellicas inprimis referuntur: 1mo *pacta deditiois* seu sic dictae *Capitulationes*, vi quarum fortalitium, Urbes, aut certa regio, vel certae personae, hostium potestati permittuntur. 2do pacta de redimendis, aut permittendis captivis. 3tio pacta de *lytro*, seu determinato pretio pro captivorum restitutione solvendo. — Cum lytrum ea lege solvatur, ut ca-

Omnia Conventa bellica per belligerantes licite ineuntur, legitime autem inita, debitisque pactorum requisitis instructa, non obstante relatione hostili mutuo intercedente, sancte et fideliter servanda sunt; nam per conventiona bellica novum jus et nova obligatio (cum jure eo quod gens aliqua bello persequitur necessario non connexa) constituitur, ergo belligerantes his in pactis non ut hostes, sed tamquam paciscentes considerandi sunt, secus enim saepe nec medio leniori uti, nec pacem nisi secuta utriusque, vel unius saltem gentis belligerantis interneccione reducere liceret. b)

---

ptivi e captivitate dimittantur, consequens est, captivis ante redemptionem mortuis, nullum deberi lytrum, quia deficiente conditione deficit conditionatum; contra si redemptus iterum in captivitatem incidat, ad novum lytrum obligatur.

b) Incassum confundunt nonnulli violationem conventionum bellicorum cum stratagemate; quia fides etiam hosti data servari debet, igitur datae fidei violatio non est stratagema, sed mendacium, et perfidia, quae semper illicita est.

*I n d u c i a e.*

*Induciae* sunt pacta inter belligerantes, de actibus bellicis ad certum tempus suspendendis. Aliae sunt *universales* vi quarum omnis vis bellica, et in quibusvis locis cessat; aliae *particulares* vi quarum per modum privilegii certae personae, vel res hostiles a vi bellica immunes declarantur, veluti si *salva guardias* aut *liber commeatus* concedatur. a)

Respectu durationis denique *induciae* vel ad breve tempus, et certi negotii expediendi causa ineuntur, e. g. ad sepelienda cadavera Inortuorum, et tunc *armistitia* audiunt; vel ad longius tempus extenduntur, in quo casu *induciae* strictim sumtae appellantur, quia et totus apparatus bellicus dissolvitur. b)

Jus universales et longas *inducias* concludendi, solis Imperantibus qua gentium repraesentantibus competit, quia in his persecutio

a) Per *salvam guardiam* certis rebus, per *liberum commeatum* autem certis personis ad determinatum tempus conceditur immunitas a vi bellica.

b) Heineccius *Inducias* adhuc dividit in: „*expressas*, quae expresso pacto ineuntur, et in *tacitas*, quando necessitas ipsa *inducias* facit, e. g. hiems vehementior, maris intemperies etc.“

juris sistitur, adparatus belli dissolvitur, et *pax temporanea* reducitur, quod jus majestaticum est; Ast *particulares* et *breves* inducias etiam belliduces, et ministri publici circa objecta suae potestati subjecta sancire possunt, quatenus videlicet vi officii, tacita ad id potestate sunt instructi, saepe enim induciae particulares sunt medium ad munus belliducis cum effectu gerendum.

Quamprimum induciae valide conclusae sunt, illico promulgari debent subditis, quia vi induciarum belligerantes illico obligantur abstinere ab omnibus actibus hostilitatis, igitur et media ad obtinendum hunc finem necessaria adhibere, quale est *promulgatio*, sine hac enim subditi non sciunt, an ab actibus hostilitatis abstinere liceat. Hinc damnum ante promulgationem illatum pro casuali habetur, neque a belligerantibus resarciri debet, quia nemini potest imputari, ergo quae casuale nocet domino.

*Induciarum Effectus, et duratio.*

Tempore induciarum belligerantes obligantur ab omnibus hostilitatibus. Hinc non licet occupare loca ab hoste incustodita, neque auxilium urbi oppugnatae mittere, tanto minus praedas agere, quia tempore induciarum actus hostiles suspensi sunt, adeoque plena adesse debet securitas; moenia tamen intra fines suos reparare, prout et milites <sup>ce</sup>scribere licet, quia actus hi non sunt hostiles. Evoluto denique tempore ad quod <sup>in</sup>duciae conclusae sunt, hostilitates sine <sup>no</sup>va belli indictione renovari possunt, quia per inducias non finitur bellum, sed tantum actus bellici ad certum tempus suspenduntur.

Si dubium oriatur, an tempus induciis adjectum, sit evolutum? tempus computari debet juxta communem usum loquendi, et tempora computandi. Scilicet vel *tempus continuum* determinatur e. g. induciae concluduntur ad 30 dies; et tunc numeratio facienda est ad momentum; vel certus *assignatur terminus*, e. g. ut induciae durent a 1ma Augusti usque 1mam Septembris, et tunc *terminus a quo* (hic 1ma Augusti) includitur induciis, *terminus ad quem* autem (1ma Sept.) excluditur ab induciis.

Si intra tempus induciarum a Subditis alterutrius belligerantis vis bellica exerceatur, propterea induciae pro ruptis haberi nequeunt, nisi adprobatio Imperantis expressa vel tacita accesserit, quia factum privatorum nequit toti civitati imputari, sicut ergo induciae privata auctoritate non ineuntur, ita nec rumpi possunt, nisi actio privata per ratiha-bitionem imperantis in publicam elevetur.

§. 60.

*Pactum Pacis.*

Inter conventa bellica eminet *pactum pacis* (s. d. *pactio pacis*) seu conventio, quae hostilitati inter belligerantes finem imponit.

Ex hac notione patet:

I.) Per pactum pacis controversiam inter belligerantes mutuo consensu per modum *trans-actionis* componi, quin justitia vel injustitia belli decidatur. a)

---

a) Omne pactum pacis redolet naturam transactio-nis; cum enim pleraque bella e causa dubia ex-oriantur, profecto negotium exitum non habe-ret, si inter gentes independentes praecise de-terminandum esset: a cujus parte stet veritas in lite; hinc aliud finiendae litis inter belligeran-

II.) Pacto pacis natura sua inesse *amnestiam*, seu injuriarum sibi mutuo hactenus illatarum oblivionem; b) quia transactio absque malorum sibi mutuo illatorum oblivione, in regula concipi nequit.

III.) In pacto pacis necessario omnia pactorum requisita essentialia adesse debere, per consequens valorem pacis dependere: a *vero consensu* paciscentium belligerantium, et a *possibilitate praestationis* tam physica quam morali. Hinc:

1.) Invalida est pactio pacis, in qua promissum vi injusta fuit extortum, et in qua vis haec injusta principale motivum conclusae

---

tes medium non reperitur, nisi ut in dubio relicta belli justitia vel injustitia, solo consensu mutuo rem componant, belloque finem imponant. Itaque gentes litem suam mutuo consensu exaequant, juri quod habebant, res suas vi armorum persequendi, renunciant, et mala illata sibi invicem condonant.

b) *Amnestia* prout et ipsum pactum pacis ad *belli socios* quoque extenditur, quia cum his idem fuit bellum, ergo et in amnestia comprehensi praesumuntur; nisi cum his peculiare fuisset bellum. — Ad ea tamen quae ante vel citra bellum debentur e. g. ad debita civilia ante inchoatum bellum contracta amnestia non extenditur, quia haec non ex vi bellica ortum habent.

pacis constituit; nisi gentes litigantes praevidelicet in eo convenerint ut per victoriam lis decidatur, volenti enim non fit injuria.

2.) Injusta est pax, cujus objectum *juri moralis personalitatis* gentis repugnat. Hinc si Victor gentem devictam conclusa pace subjugaret, in servitutem redigeret, ac proinde jure personalitatis (civili existentia, et independentia) privaret, genti subjugatae recuperatis viribus arma arripere, jugumque excutere licebit, quin propterea perfidiae argui possit.

§. 61.

*Bella internecina.*

*Victoria.*

E praemissis clarum est: 1.) *Bella subjugatoria*, vel *internecina* juri gentium esse adversa, adeoque injusta, et illicita. a)

---

a) Quodsi tamen ab hoste injusto aliter pax obtineri nequeat, nisi omnibus nocendi viribus privetur, et nulla spes pacis durabilis affulgeat, victori jus est propriae conservationis ac incolumitatis causa ad extremum hoc medium provocandi. Sic e. g. Bellum subjugatorium vel plane internecinum contra Republicas Piratarum gestum, pro justo ac licito haberi debet.

2.) Non dari *jus victoriae*. Cum enim Victoria, (seu ille belli exitus, quo vires physicae unius partis belligerantis alteri adeo praevalent, ut haec resistere amplius nequeat) potissimum a viribus physicis, majori dexteritate, imo a casu fortuito saepe dependeat, et jus a facultate physica independens sit: perspicuum est, solam victoriam, nisi accedat pactum pacis, nullum juris argumentum esse; secus enim ipso facto *jus fortioris* statuendum foret.

Unde sequitur: Victoriam per se pro medio decidendi litem justo, jure gentium naturali haberi nequire; nam Victor per victoriam non plus juris acquirit, quam habuerit ante victoriam, et siquid juris victori accedit, id *non immediate e victoria, sed e pacto pacis*, (vel transactione) repetendum est.

---

§. 62.

*Praeliminaria. Articuli pacis.*

Pactum pacis plerumque praecedunt *praeliminaria* quibus determinatur locus et tempus asservandi congressus, item modus tractandi, et ordo per legatos observandus; quia negotium pacis concludendae legatis committi

solet, qui singula pacis capita (in quibus de rebus praestandis singillatim est conventum) in sic dictos *pacis articulos* redigunt, instrumenta pacis respectivis imperantibus suis fine confirmationis ac subscriptionis substernunt, obtentasque solemnes ratihabitionum tabulas utrinque commutant. a)

Pactum pacis legitime initum, ac promulgatum, omnes perfectae pacis effectus post se trahit, hinc cuncti conatus mala sibi invicem inferendi desinere debent, quia conclusa pace suffertur causa belli.

Caeterum contrahentes pacto pacis statim obligantur, ut primum fuerit initum, subditi autem nonnisi post publicationem, vel a tempore convento, si nimirum certus praefigatur terminus a quo pax observari debeat. b)

---

a) Articuli pacis alii sunt *connexi*, in quibus convenitur de rebus ad eandem causam spectantibus, alii *diversi*, in quibus de rebus ad eandem causam non pertinentibus transigitur.

b) *Jus condendae pacis* pertinet ad jura majestatica, hinc ii qui jura majestatica exercere nequeunt, veluti reges impuberes, aut dementes, nec pacem concludere possunt. — Valida vero pace obligantur etiam successores, quia pax per summum imperantem sancitur nomine totius gentis, ergo est foedus reale, quod successores

## §. 63.

*Obligations ex pacto pacis promanantes.**Violatio pacis.*

Conditiones pacto pacis mutuo consensu stabilitae, sancte et fideliter observandae, promissa autem statim vel intra tempus praestitutum praestanda sunt. Quare res vi pacificationis pacis restituendas nec deteriorare, nec corrumpere licebit, verum omnia jura unacum incrementis, a die factae promissionis et acceptationis praestari debent, quia secus promissum non servaretur. Quodsi promittatur restitutio rei in eo statu in quo ante bellum fuit, tunc tempus illud, quo bellum coepit initium, intelligendum est.

Gens quae conditiones pacto pacis stabilitas non observat, *pacem rumpere*, vel *violare* dicitur; violatio pacis, ut quaevis perfidia e parte unius gentis admissa, alteri jus tribuit, gentem perfidam ad implementum pacti quibusvis mediis etiam violentis compellendi; id quod saepe novo bello causam suppeditat.

---

quoque ligat: nisi ex articulis pacis appareat, pacem esse personalem.

At non rumpitur pax, si bellum ex alia causa inchoetur. e. g. ex obligatione assistendi foederatis. Nec paci derogat foedus bellicum cum alia gente ea lege initum, ut, si alter populus pacem rumperet, eum aggredi, rebusque pactione pacis acquisitis privare velint, quia per id pacis securitas procuratur, ergo nihil agitur contra pacem.

§ 64.

*Necessitas pacis perpetuae*

Cum omne bellum etiam justum cum clade subditorum conjunctum sit, nihilque magis turbet socialem ac pacificam gentium coexistentiam quam belli calamitates, (nam sumptus immensi requiruntur, res aleae plena est, et tam qui justum bellum gessit, quam injustus aggressor succumbere potest) cumque ut recte advertit Sallustius: „bellum „facile suscipiatur sed aegerrime desinat, non „enim in ejusdem potestate initium ejus et finis est, incipere cuivis etiam ignavo licet, „deponere cum victores volunt“ rationis postulatum est, ut pax perpetua inter gentes regnet, et manuteneatur. a) Pax haec per-

---

a) Confirmant hoc diuturni jam conatus Philo-

petua qua ideale *status juris ac justitiae* inter gentes dominantis, nec per tentatam *monarchiam universalem*, nec per sic dictum *aequilibrium politicum*, nec denique per *universalem gentium confoederationem* obtineri potest, b) verum successiva solum ad eam approxi-

---

sophornm, Politicorum, et Jurisconsultorum, imo Imperantium quoque civilium, *pacem sic dictam perpetuam* inter gentes stabiliendi, ut hoc modo incommodis status naturalis inter gentes obvenientibus pro viribus occurratur. — Caeterum ipsae gentes quoque postulatum rationis (circa pacem perpetuam) diserte agnoscunt, dum bellum pacto pacis concludunt, in quo sibi mutuam durabilemque pacem spondent, atque sic pacem ut perpetuam annunciant (etsi illa brevi tempore duraret) statumque pacis ut talem, qualis esse deberet (nempe perpetuum) considerant.

b) Impossibilitas *monarchiae universalis* seu imperii unius in omnes reliquas hujus universi gentes, per se patet; — *aequilibrium politicum* (seu talis status gentium mutuo coexistentium ac foederatarum, vi cujus nulla alterius independentiam citra periculum interitus proprii violare audet) tot bella causare, quot impedire, exorto autem bello facile in *praepotentiam* unius alteriusve gentis degenerare potest. — *Universalis denique gentium foederatio* multum quidem ad stabiliendam pacem durabilem confert, prout et idea haec, *ex parte practi-*

matio per *progressivam emendationem status gentium imprimis politici, et moralis, possibilis est, c) usque dum gentibus suc-*

ce jam realisata est in germania *foedere sic dicto germanico*, ad eam tamen plene, et *ex toto* realisandam, omnes gentes se ad constantem (stabilem) Congressum per legatos suos alicubi formandum obligare deberent, coram quo tamquam foro communi, cunctae Controversiae politicae decidendae forent. — *Fa-*tendum tamen, effectum hujusmodi universalis foederationis prout et durabilitatem pacis multis in casibus a bona unice voluntate, per consequens a motivo morali dependere; nam si gens quaedam potentior, communis illius gentium foederatarum Tribunalis deciso semet conformare renueret, vi armata cogenda foret, atque sic pax ipso facto turbaretur.

- c) *Status politicus* gentium emendaretur, si gentes unanimi consensu, et instar principii statuerent: *ut nulla gens alterius territorium (sive ex toto, sive ex parte) haereditate, emptione, donatione, occupatione, aliisque modis acquirere possit!* — *Status gentium moralis* denique emendaretur, si motivorum moralium rationem habentes, egoismum deponerent, mutuam perfectionem ac praecedentiam agnoscerent, in commercio liberaliora principia sequerentur; majoremque tolerantiam observarent; quia sic tot quot belli fomenta suppresserentur, et pax durabilis procurari posset. —

cessu temporis ad pacem perpetuam propius  
accessuris, magnum hoc problema solvere,  
postulatumque rationis (pacem perpetuam ur-  
gentis) in effectum deducere ac realisare con-  
tingat.



**M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA**

# T y p i

Errores	sic	corrigere.
Pag. 11. lin. 18. <i>Jus</i>		Jus.
— 15. — 9. <i>externorum</i>		exterorum.
— 20. — 3. <i>iuter</i>		inter.
— 20. — 26. <i>populus</i>		populis.
— 21. — 2. 3. <i>sumtibus</i>		sumptibus.
— 22. — 13. <i>omnibns</i>		omnibus.
— 23. — 17. 18. <i>tractum</i>		tractum.
— 28. — 20. <i>disribuantur</i>		distribuantur.
— 32. — 15. <i>adferri</i>		adferri.
— 41. — 10. 11. <i>Guarantia</i>		Garantia.
— 44. — 3. 5. 23. <i>Gvarantia</i>		Garantia.
— 45. — 27. <i>sammum</i>		sumum.
— 66. — 8. <i>hostilitalis</i>		hostilitatis
— 69. — 23. <i>substit</i>		subsit.
— 74. — 1. <i>quaeritur</i>		queritur.
— 74. — 15. <i>mediae</i>		media.
— 77. — 14. <i>hoe</i>		hoc
— 78. — <i>ultima: recarcire</i>		resarcire.
— 89. — 1. <i>tes)</i>		tia)
— 98. — <i>ultima hiems</i>		hyems.





**AGRIAE, 1840.**

*Typis Lycei Archi-Episcopalis.*

JUS  
GEN-  
TI-  
UM  
N.